NAZ.
uele III
LI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
B
4
NAPOLI

L
B
4

VITA.
ILLVSTRISSIMÆ, AC PIISSIMAE DOMINAE MAGDALENAE MONTIS-ACVTI IN ANGLIA VICECOMITISSÆ:

Scripta per Richardum Smitheum Lincolnienſem, Sacræ Theologiæ Doctorem, qui illi erat à ſacris Confeſſionibus.

AD

EDVVARDVM FARNESIVM S. R. E. CARD. ILLVSTRISSIMVM, ET ANGLIAE PROTECTOREM.

Mulier timens Dominum ipſa laudabitur. *Prouerb. 3.*



NAPOLI

ROMÆ, Apud Iacobum Maſcardum. 1609.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur R. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

PErlegi libellum hunc, cuius titulus Vita Illuſtriſſimæ, ac pijſsimæ Dominæ Magdalenæ, &c. ſcripta per M. R. D. Richardum Smitheum ſacræ Theologiæ Doctorem, iuſſu Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella, nihilq. in eo reperi contra Fidem, aut bonos mores: imo multa in eo, quæ veram pietatem iuuare poterunt; ideo dignum cenſeo, qui imprimatur, ſi ita Reuerendiſſimo P. M. Sacri Pal. videbitur.

Don Innocentius ab Eccleſia Præpoſitus Coll. ſancti Pauli in Columna Romæ.

Imprimatur.

Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Magiſter, & Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius Ord. Prædicatorum.

EDVVARDO FARNESIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

RICHARDVS SMITHEVS FEL.

QVÆ quantaq. ſint (Illuſtriſſime Farneſi) quę me ab hoc exiguo opuſculo Amplitudini tuæ dicando deterrere potuiſſent, vtpotè omnibus nota, ſcribere nihil attinet: Quæ verò animarunt hæc ſunt. Primum, quod cum Martyrum noſtrorum cruentas mortes ſępiùs legeris, non iniucundum tibi fore exiſtimaui, ſi

vnius ſaltem ex Confeſſoribus noſtris (ſi ita loqui liceat) piam vitam percurreres; vt cum roſarum fragrantiam ſenſeris, etiam liliorum ſuaueolentiam percipias. Alterum erat, quod Montisacuti Domina, tum ob generis nobilitatem quę illi erat præcipua, tum ob vitæ ſanctimoniam quæ erat eximia, tum demùm ob nonnulla in Romanam Sedem merita, digna ſit quæ à tua Amplitudine cognoſcatur. Cum enim in Anglia vbi ipſum Romæ nomen pleriſque exoſum eſt, Romanam fidem ita celebrem reddiderit, vt Domus ſua Parua Roma ab Hæreticis nuncupata ſit, Quid mirum ſi Romæ ſub Cardinalis Romani titulo Montisacuti nomen innoteſcat? Præthereà gratum tuæ Amplitudini fore arbitrabar, ſi in

vnius exemplo omnium illuſtrium, ac nobilium in Anglia Catholicarum mulierum vitas, tamquam in ſpeculo tibi propoſitas cerneres. Etſi enim fortaſſe paucæ earum Magdalenæ pietate pares ſint, omnes tamen ita ſimiles ſunt, vt & eiuſdem Eccleſiæ Catholicæ filias, & Religione germanas ſorores poſſis agnoſcere. Audiui aliquandò Canonicum Gaditanum virũ grauiſſimum plurimùm exultãtem, quod cum Angli Gades cœpiſſent eum captiuum in Angliam abduxiſſent. Ibi enim didicit (vt aiebat ille) quid eſſet Chriſtianum eſſe, & quantus eſſet Religionis Chriſtianę ſplẽdor cum in perſecutione (velut in fornace aurum) probatur, oculis cernebat; cuius aſpectũ Cardinalitio Galero ſibi chariorem fuiſſe præ-

dicabat. Atque hunc decorem Amplitudinis tuæ oculis illuſtriſſimæ huius fœminæ vita nõnulla ex parte exhibebit. Demùm nefas putabam mihi Romæ vitam illuſtris fęminæ, regiæ Lancaſtrenſis familiæ principi viro nuptæ, ſcribenti, eam alteri quam eiuſdem familiæ principi Cardinali, cui affinitate iuncta erat, conſecrare. Atque hæc ſanè mihi animum addiderunt, vt ego in dicandis tuæ Amplitudini libris ſacerdotibus Anglis viam aperirem. Qua in re ſi ſtudiũ meum tibi probatum fuerit, breui futurum ſpero, vt ipſorum aliqui qui maiora moliuntur, digno aliquo opuſculo totius Anglicani Cleri erga Amplitudinem tuam, obſeruantiam teſtatam faciant. Vale. Romæ Kal. Septembris 1609.

PIO

PIO LECTORI.

Conſueuerunt antiqui illi Patres (Pie Lector) qui Chriſtianam Religionem ſcriptis ſuis vel illuſtrarunt, vel contra Hæreticos defenderunt, piarum etiam ſuorum temporum mulierum quæ ipſis, vel affinitate, vel familiaritate coniunctæ erant, vitas, literis commendare. Quod cuiuis, qui vel mediocriter in S. Hieronymi, Auguſt. Gregorij, aliorumvè ſcriptis verſatus fuerit, ignotum eſſe non poteſt. Intelligebant enim viri Sanctiſſimi eo facto, ſe & pietati ſuæ ſatisfacere, & honeſtam à grauioribus ſtudijs feriationem obtinere, & Deum in ſuis ſanctis laudare, & demùm alios exemplo ad pietatem prouocare. Horum ego exemplum lon giſſimo licet interuallo ſecutus, intermiſſa pauliſper contra Hæreticos noſtrates ſcriptione, quam etiam ob alias mihi iniunctas occupationes interrumpere cogebar, vitam piæ Dominæ meæ Magdalenæ cum qua familiariſſimè multis annis uixi, eique à ſacris confeſſionibus fui, ſcribendam ſuſcepi. In qua conſcribenda, vt ſermonis barbariem vitare conatus ſũ, ita ab eloquentiæ pigmentis, ac Rhethoricæ floſculis conſulto abſtinui. Vt enim alterum Lectoris animũ offendere ſolet, atq; à rebus ipſis quæ ſcribuntur cognoſcendis nonnunquam auertere: ita alterum nimium delectando, rebus ipſis minus attentum facit, & aliquãdo de earum veritate dubium reddit. Pudicæ Matronæ decor, vt à ſordibus, ita à pigmentis immunis eſſe debet. Ornentur verbis illæ quarum vita factis non ornatur. Magdalena noſtra virtu-

Rideat forſan infidelis lector me in muliercularũ laudib. immorari. &c. Hier. de obit. Marcel.

Cauſa huius ſcriptionis.

Virtutes nõ ſexu, ſed animo iudicamus. Hier. ſup.

Modus ſcribendi.

tibus ita ſplendet, vt orationis ſplendorem non requirat. Quinimò vt à pigmentis ipſa ſemper abſtinuit, nec vnquàm ad ſpeculum vultum compoſuit: ita orationis comptũ nitorem à vita ſuæ deſcriptione abeſſe par eſt. Veritati in primis ſtudebo, vt nihil ſcribam niſi quod ipſemet perſpexi, vel ab ipſius Magdalenæ ore, aut ab alijs fide digniſſimis teſtibus accepi; ita vt cum S. Hieronymo ſcribente vitam S. Paulæ teſtari poſſem IESVM, & Sanctos eius, ipſumque proprium Angelum, qui cuſtos fuit, & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil blandientium more loqui, ſed quicquid dicturus ſum pro teſtimonio dicere, & minus eſſe meritis. *Quodq; æquis lectoribus magnæ ſatisfactionis loco eſſe poteſt, quæ hic literis mando, & pridem in funere Magdalenæ coram amplo auditorio præſentibus eius familiaribus dixi, & modo nondum elapſis ab eius morte 19. menſibus, euulgo, vt ſi mentiar, ore, oculis, ac ſermone omnium, qui eam nouerunt coarguar, ac maximè Hæreticorum, qui cum viuenti Magdalenæ veram gloriam attribui ægerrimè tulerint, mortuæ falſam affingi omninò non patientur. Ideòque eorum hac in re ſilentium certiſſimum eſſe poterit apud poſteros narrationis meæ teſtimonium. Cæterùm vt veritatis calumniatores non vereor, ita alijs qui fortaſſe inſignium tantum ſanctimonia hominum, qui in Sanctorum Album referri mereantur vitas ſcribendas eſſe cenſent, ſatisfactum eſſe cupio. Ab horum enim iudicio non poſſum non diſſentire, cum videam non tantum S. Paulæ, ac Marcellæ, ſed etiam Bleſillæ, Fabiolæ, & ſimilium vitas à grauiſſimo Patre Hieronymo literis mandatas, ac S. Monicæ vitam à filio ſuo S. Auguſtino deſcriptam cum eam Purgatorij*

Fides huius ſcriptionis.

Vitas quorũmuis piorũ hominũ ſcribi poſſe.

Ab exẽplo.

torij pœnis expiari ipſemet formidaret. Ac rectè ſanè; vt enim diuina virtus non tantum in Solis, ac Lunæ compoſitione reſplendet, verùm etiam in minorum ſtellarum fabricatione apparet: ita etiam cæleſtis eius gratia, non ſolùm in inſignium Sanctorum ſanctimonia effulget, ſed etiam in pij cuiuſquā probitate elucet. Præter Solem & Lunam, Stellas etiam Cælis addidiſſe, non minimum ornatus eorum incrementum fuit; adeoq; vitas piorum quorumuis hominum deſcripſiſſe, nonnulla erit Dei, ſuæque Eccleſiæ gloriæ acceſſio. Ac ſicut montium altitudinē mirantur pleriq; potius quam ſcandunt, qui tamen collium humilitate ad aſcenſum inuitantur: ita illuſtrium Sanctorum virtutes laudant plures quàm imitantur; qui tamen inferiorum piorum hominum pietatem non difficulter exprimunt. Atque his ego propono fœminam non aſperitate habitus, aut victus parcitate, aut diſciplinæ ſeueritate, aut mundi abnegatione inſignem; ſed humilem, caſtam, mitem, patientem, piam; nec miraculis fulgentem, ſed virtutibus conſpicuam; vt qui de Mariæ Magdalenæ mirabili ſanctitate imitanda deſperant, Magdalenæ Montis acuti pietatem conſequi ſe poſſe ſciant. Neque tamen eam in Sāctorum, uel Beatorum numerum refero. animus mihi tantum fuit ob Dei gloeiam, proximiq; ædificationem uitam eius ſincerè literis man dare; an uero ſanctitatis opinionem mereatur, iudicent alij. Hæc habui (pie Lector) quibus te, antequam ad Magdalenæ noſtræ uitam legendam accederes, præmonitum cuperem. Tu fruere, & Vale.

Ab honore Dei.

Ab ædificatione proximi.

DOMINAE MAGDALENAE MONTIS-ACVTI VICECOMITISSAE

ELOGIVM.

Magdallena Dacri & Talbottæ filia, Bruni
Coniux, digna uiro, Matreq;, digna Patre.
Ingenio fælix, forma pulcherrima, mente
Magna, potens opibus, grandis honore fuit.
Moribus excellens, fama celeberrima, uita
Innocua, & ſactis inclita, morte pia.
Omnibus una nitens claris uirtutibus, iſto
Mundo indigna fuit fœmina, digna Polo.

VITA
D. MAGDALENÆ MONTIS-ACVTI IN ANGLIA VICECOMITISSAE.

De ortu Dominę Magdalenę Montis-acuti Vicecomitiſſæ, & educatione eius ſub matre ſua. Cap. I.

ILLVSTRISSIMA ac pijſſima Domina Magdalena Vicecomitiſſa Montis acuti nata eſt in Anglia, ex nobiliſſimis & catholicis parentibus, Nauardi, quod erat Caſtrum Patris ſui, ſitum in Comitatu Cumbriæ non longe a finibus Scotię, Anno a Chriſto nato 1538. die 20. Ianuarij. Pater eius erat Guilielmus, Baro (vel vt Anglicè loquimur, *Lord*) Dacre de Ghilſland, vir, præter antiquiſſimam familiæ nobilitatem, tantarũ opum ac potentiæ, vt ſimul nouem

Pater Dominæ Magdalenæ.

Eius nobilitas

uem Baronias poſſederit, (quot vix vllus alius optimatum Angliæ ſimul tenuit) ac magnæ in Septẽtrionalibus Angliȩ partibus auctoritatis; ac tum ipſemet, tum eius maiores ob res in bello præclarè pro ſalute ac honore patriæ geſtas celeberrimæ apud Anglos famæ, atq; exiſtimationis. Nec minoris erat in Deum pietatis, nam cum Henricus Rex VIII. coacto Parlamento ſtatuiſſet Ordinum Angliæ ſuffragijs Romani Pontificis obedientiam excutere, ſibiq. inaudito ante exem plo, titulum Capitis Anglicanæ Eccleſiæ arrogare, timeretq. ne Baro Dacrius non modo libidini ſuæ non aſſentiretur, verum alios ad auitam fidem tuendam ſuo exemplo & auctoritate animaret, curauit vt is eodem tẽpore in diſcrimen capitis vocaretur, in quo tamen ipſe innocens facile declaratus fuit. Cumq. poſtea Rex ei diceret ſe ordinũ ſuffragijs conſtitutum eſſe Eccleſiæ Anglicanæ caput, ſciſcitareturq. ab eo quid ille de hoc ſentiret, ſalſo ſcomate irridens hominis vanitatem reſpondit: *Poſthac igitur vbi Maieſtas veſtra deliquerit, poterit ſeipſam abſoluere*. Alio item tempore cum Elizabetha Regina Henrici filia vltrà patrem progreſſa, Catholicam religionem ex Anglia prorſus exterminare conaretur, Baro Dacrius hortatus eſt Ordines ne tam tetro flagitio aſſenſum præberent,

Eius pietas.

Sander. de ſchimat. l. 1. p. 120.

rent, ac quibuſdam ex ipſis ſe ipſum ac vires ſuas pro catholica religione tuenda obtulit. Mater eius erat paris nobilitatis ac pietatis fœmina, filia N. Talbotti Comitis Salopiæ, cuius maiores ob nobiliſſimas in Gallia partas victorias, in omnibus Galliæ ac Angliæ annalibus celeberrimi ſunt. Tamque formidoloſum olim Gallis fuerat Talbotti nomen, vt matres ac nutrices Gallæ cum pueros ſuos a fletu vellent compeſcere ſolitæ fuerint dicere. *Talbottus venit.* Ex his nobiliſſimis maioribus orta eſt Magdalena Domina Montis-acuti, quod refero, non quaſi ipſa magni id fecerit, ſed quia nobilitas, & ſi valorem virtutis non augeat, ſplendorem tamen quendam ac decorem addit, efficitq. vt hominum conſpectui gratior appareat. Nam, vt paululum mutato verſu cum Poeta dicamus:

Mater Dominæ Magdalenæ.

Gratior eſt claro veniens de ſanguine virtus.

Quemadmodum enim gemma magni pretij eſt quantumuis ſub terra abſcondatur, aut operta luto pedibus conculcetur; vel vt Diui Hieronymi verbis vtar. *Lucet Margaritum in ſordibus, & fulgor gemmæ puriſſimæ etiam in luto radiat,* Conſpectior tamen & gratior eſt cum auro cingitur: Ita virtus maximè æſtimanda eſt quantiſcunque egeſtatis ſordibus inuoluatur, cæterum vbi nobilitate velu-

Epiſt.16.

 ti pur-

ti purpura amicta fuerit, maiorem ſui amorem ac admiratione excitat, ac veluti ſol ſerena die diſcuſſis nubibus, fulgoris ſui radios longè lateq; diffundit. Vt enim ſursùm aſpicientibus nihil iucundius aut ſpecioſius apparet cœlo ſerena nocte diuerſis ſyderum generibus ſcintillante: ſic deorſum oculos conijcientibus nihil gratius ſeſe aſpectui noſtro offert nobilitate varijs virtutum gradibus ornata, ac veluti micante. Eſt enim nobilitas virtutibus illuſtrata cœlum in terris ſitum ſyderibus ornatum. Quod eo veriùs hoc tempore vſurpare poſſumus, quò rarior nunc eſt virtutis cum nobilitate coniunctio.

Multi olim ſancti reges & reginæ in Anglia.

Fuit olim tempus cum in Anglia Reges, Reginæ, ac Principes, viri ac fœminæ, vt dignitate alijs præibant; ita etiam virtute præcedere nitebantur. Quo fit vt ex Regibus Angliæ inter Sanctos numeremus penè viginti, & Reginas totidem, ex Regum verò liberis Principes, ac Nobiles innumeros. Sed iam, (proh dolor) Principibus noſtris a deceſſorum ſuorum fide deflectentibus, Optimates etiam noſtri maxima ex parte a maiorum ſuorum pietate degenerarunt. Quo maiorem & apud Deum, & apud homines laudē meretur hæc illuſtris fœmina, quæ nobilitatem ſuam vitijs, aut impia hæreſi fœdare noluit, ſed quoad potuit eam virtutibus ac ca-

tholicæ fidei puritate excolere, atq; illuſtrare contendebat, prout in decurſu vitæ ſuæ patebit. Vſq; ad tredecim annorum ætatem educabatur in paterna domo ſub pio matris regimine, vbi etſi tum pro iuuenilibus annis, tum exemplo ſororum & aliarum more gentis nobilium puellarum, tum ipſius etiam rei voluptate induci potuiſſet, vt ceruos vel lepores canibus, aut aues accipitribus perſequeretur, illa tamen hanc omnem voluptatem ſpernens elegit exemplo B. Virginis domi potius quieta reſidere, quam more prophanæ Dianæ perſequendo aues, vel feras, in montibus, ac ſaltibus errare, ac ſine Magiſtro conſilium illud adimpleuit, quod puellis dat D. Hieronymus. *Nunquam exeat foras nè inueniant eam qui circumeunt ciuitatem, ne percutiant, & vulnerent, & auferant theriſtrum pudicitiæ.*

Venatione non delectatur.

Epiſt. ad Lætam.

De illius educatione ſub Comitiſſa Bedfordiæ. Cap. II.

CVm iam tredecim eſſet annorum puella commiſſa eſt a Patre Comitiſſæ Bedfordiæ ſub prudenti diſciplina illius Catholicæ, ac Religioſæ fœminæ educanda. De qua ſolebat hoc narrare, quod ad inſtructionem

alia-

aliarum mulierum literis mandare operæpretium duxi. Cum ſterilis eſſet nimioq. deſiderio filij habendi teneretur, multo tempore tum per ſe, tum per alios preces ad Deũ fudit, vt ei filium largiri dignaretur. Sed quod Chriſtus diſcipulis aiebat: *Neſcitis quid petatis*. & quod teſtatur Auguſtinus, Deus aliquando iratus petitionem noſtram concedit, ita hæc pia fœmina malo ſuo experta eſt neſciſſe ſe quid peteret, ac muneris loco pœnam a Deo popoſciſſe. Nam filiũ poſtea peperit, ſed eum qui non ſolum in hæreſim lapſus eſt, quod ipſa ſummopere deteſtabatur, verum etiam ſæpenumero ita impium ſe erga matrem geſſit, vt ipſa nonnunqnam magno tum dolore, ac lachrymis palam confiteretur ſe grauiter in Deum deliquiſſe, quod cum filium petijſſet, hanc conditionem non appoſuiſſet, modo id in eius gloriam ſuumq. ſolatium ceſſurum eſſet, ac propterea aiebat, iuſtè punior per id quod immoderate concupiui. Quod pijs parentibus documento eſſe poſſet, ſterilitatem non ſemper habendam vt pœnam ab irato Deo inflictam, nec liberos ſemper tanquam propitij numinis munus exiſtimandos, atque vt nihil temporale a Deo petant, niſi quatenùs id eius beneplacito conſentaneum, ipſiſq. vtile futurum diuina illius prouidentia proſpexerit.

Sterilis fœmina immoderate cupit liberos.

Punitur eiſdem.

Sed vt ad Dominam Montis-acuti redeamus. Vixit triennio ſub prædicta Comitiſſa, cui ita ſtudioſe inſeruiuit, vt non tantum pediſſequæ, verum etiam in abſentia cubicularis ancillæ, illius officio functa ſit. Expedita ſingulis noctis horis, quandocunq; Comitiſſa vocabat, (quod ob ſenectutē & morbos frequenter faciebat) e lectulo ſuo exſurgere, eiq. ſedulo miniſtrare. Quinimò nobiliſſima iuuencula & delicatè enutrita, non dedignabatur ſua ſponte & clàm Comitiſſa, viliſſimum illud miniſterij genus, quod delicatæ aures nec audire ferunt, per ſeipſam obire. Adeò præuenerat eam Deus in benedictionibus ſuis, tantamq. illi humilitatem infuderat, etiam in illa ætate, in qua, vtpote ætatis flore, fœminæ maximè ſuperbire, ſeſeq. inſolentius efferre ſolent. Atque hoc factum ſuum ſolebat ipſa aliquando ſine omni rubore, imo nonnulla cum voluptate neptibus ſuis referre, vt eas exemplo ſuo ad humilitatem prouocaret.

Eximia Magdalenæ humilitas ac obſequiū.

De eius victu in Aula ſub Regina Maria, ac nuptijs cum Vicecomite Montis-acuti. CAP. III.

CVm hoc modo in omni honeſtate, ac pietate ſub diſciplina Comitiſſæ Bed-

ſordiæ per triennium vixiſſet, accidit vt mortuo Edouardo VI. (cuius pueritia nefarij quidam homines abuſi fuerant ad ſubuertēdam in Anglia Catholicam Religionem) Regina Maria non ſine euidenti miraculo magnaq. Dei benignitate contra omnem Hæreticorum potentiam ac aſtum Regno Angliæ potiretur, ac pulſa perfidia veterem, veramq. Religionem poſtliminio reſtitueret. Hæc in Curiam, ac numerum ſuarum nobilium pediſſequarum (quæ Puellæ honoris vocari ſolent) ſuſcepit Magdalenam, vbi huius virtus, ac virginea modeſtia non tantum oſtendēdi ſe ampliorem locū nactæ ſunt, verum etiam auctus, ac profectus maiorem occaſionem, atque exemplum inuenerunt. Erat enim tunc temporis Curia Anglicana ſchola virtutum, puritatis altrix, domicilium pietatis. Regina ipſa omni virtutum genere inſtar Lunæ ſplendebat, de cuius laudibus oēs hiſtoriæ loquuntur: Dominæ, ac puellæ ſuæ vt ſtellæ rutilabant. Quamq. lucidæ ſtellæ eſſent, ex eo quod de vna earū à Magdalenæ ore accepi Lector poterit cōiecturam capere: Solebat hæc valde diluculò e lecto ſuo exurgere, ac quam celerrimè potuit ſeipſam veſtiens adibat ſacellum, vbi flexis genibus iuxta parietem, atque altera faciei parte capitis tegumento velata, ſolebat

Fit Pediſſequa Reginæ Mariæ.

Aula Angliæ qualis ſub Regina Maria.

Egregia pietas nobilis puellæ aulicæ.

ad

ad aliquot horas deuotis præcibus incumbere, magnumq. lachrymarum imbrem coram Deo effundere. Nec tamen abeſſe volebat vllo tempore ab officio pietatis ſibi ſuiſq. ſociabus pręſcripto. Neque contenta hoc modo diem impẽdiſſe, etiam noctu e lecto erepebat, ac proſtrata humi bonam noctis partem præcibus vacabat. Quod cum ſemel Magdalena perſenſiſſet, vbi illa pietatem ſuam detectam vidit, non aliter ac ſi in turpi aliquo flagitio deprehenſa fuiſſet, flexis in terra genibus, multisq. cum lachrymis per omnia ſacra obteſtari eam cępit, ne dum viueret occulta ſuæ pietatis exercitia cuiquã proderet. O humilem, ô verè piam virginem, ac vere puellam, vt vocabatur, honoris, quia puella erat honeſtatis, puritatis, pietatis. O fœlicem Aulam talibus Aulicis, & beatam Angliam tali Aula, quæ morum honeſtate vix multis clauſtris cedebat, & ex qua, tanquam ex fonte riui, in omnes Angliæ prouincias pietatis exempla decurrebant. Duraſſet vtinam hæc in virginibus noſtris Aulicis puritas, ac floruiſſet ipſius parens Religio Catholica, non ita graui laboraſſet Aula Angliæ laſciuiæ infamia. Sed vt dolorem meum hac de re comprimam, conſiderent quæſo Angli inſignem puritatem Regiarum puellarum ſub Regina Maria, & infamia pro-

Quantum diſcrimen aulæ ſub Catholica, & Hæretica Regina.

bra quæ nonnullis illarum ſub Elizabetha contigerunt, & inuenient quantum inter caſtiſſimam Religionem, & impuriſſimam Hæreſim interſit. Sub tanta igitur Regina & cũ talibus comitibus educata Magdalena, vix per biennium in Aula verſata fuerat, cum præclaræ eius tum corporis, tum animæ dotes ac virtutes, magnum ſui apud multos viros principes in Aula amorem excitarunt. Inter quos duo præcipuè vno eodemq. tempore nuptias eius ambibant, Ioannes nimirum Arundellius Eques auratus; vulgo (ob magnas ipſius diuitias ac potentiam) cognominatus Magnus, qui poſtea ſub Regina Elizabetha diuturno carcere maceratus ob fidem, glorioſus Confeſſor occubuit. Hic Magdalenæ amore adeo flagrabat, vt numquam eam ſollicitare deſtiterit quouſque ſponſalia eius cum altero, publicata audiſſet. Tunc enim ſpe vacuus ſed non amore ad eam acceſſit, ac ſponſalia gratulatus, fauſtiſſimas ac fœliciſſimas quæ vnquam fœminæ contigiſſent nuptias eidem precabatur. Alter erat D. Antonius Brounus nobiliſſimus Vicecomes Montis-acuti, celeberrimi quondam Marchionis Montis-acuti (qui tum a regia Lancaſtrenſi familia, tum ab antiquiſſima nobilitate Anglica genus ducebat) Pronepos, vnus ex conſilio ſecreto Reginæ

Plures ambiunt nuptias Magdalenæ.

ac

ac clariſſimi Garterij ordinis Eques. Hic priuſquam Magdalenæ deſiderium ſuum aperiret, Reginæ per literas conſenſum petijt, quæ in hęc verba cum non exigua puellæ ſuę commendatione eidem reſcripſit: *Perpenſa eius perſona, proba fama, natalibus, magna amicorum copia, & adiumentis quæ tibi ex hac affinitate obuentura ſunt, cum aliis eiuſmodi rationibus, quas vt video prudenter conſideras, fateor me huic negotio adeò fauere, vt non ſolum libenter conſenſum præbeam vt de hac re cum ipſa tractes, verum etiam vtriq. veſtrum nuptias has ita conſentaneas exiſtimo, vt ex animo cupiam eas fælicem exitum ſortiri, ac ſummopere gauderem tibi tam idoneam vxorem contigiſſe, atque illi vtpote Puellæ meæ adeò honeſtam conditionem obueniſſe.* Impetrato igitur hoc modo primum Reginę, ac deinde Puellę, ac Parentum, & amicorum ſuorum obtento conſenſu, duxit eam Illuſtriſſimus hic Vicecomes vxorem Londini in Palatio regio quod a S. Iacobo nomen habet pręſente Regina in magna nobilium frequentia. Hic igitur fuit ille Iſaac quem huic caſtiſſimę Rebeccę pręparauit Deus, de cuius heroicis virtutibus paucas quaſdam, quas ex vxoris ſuę ore accepi, quia nonnihil lucis afferunt ad coniugis ſuę pietatem perſpiciendam, breuiter ſubtexam.

Litteræ Reginæ Mariæ.

Nubit Vicecomiti Mōtis-acuti.

De inſignibus virtutibus Vicecomitis Montis-acuti mariti Magdalenæ. CAP. IV.

Inſignis amor caſtitatis in Vicecomite.

PRima quæ occurrit de virtutibus huius clariſſimi viri referenda, fuit inſignis ipſius erga caſtitatem amor. Cum enim Pater eius mortua vxore ſua concubinam aleret, quamprimũ id reſciuit iuuenis vix tum octodecim annorum, ſolus ad Patrem acceſſit, ac flexis genibus eum rogauit, vt illud vitæ inſtitutum dimitteret, exoſum Deo, damnoſum ſibi, dedecoroſum ſuis omnibus, ac aliquam honeſtam ac nobilem fœminam duceret, cũ qua cum honore viueret apud homines, cũ amore apud Deum. Cui ſubridens Pater ait: Id mihi conſiliũ Fili ſuggeris quod tibi triginta milliũ librarum ſterlingarum diſpendio conſtabit. At pius Iuuenis reſpondit flocci ſe damnum facere quo Patris animã, ac famam lucretur. Tantumq. valuit apud Patrem hæc pia Filij admonitio, vt dimiſſa Concubina vxorem duxerit, cum qua reliquum vitæ pudicè tranſegit. Filius vero in hoc vno facto magnam oſtendit & erga Patrem pietatem, & verſus Deum Religionem, & cum contemptu diuitiarum eximium caſtitatis

Libra ſterlinga valet 40. Iulios Papales, ſeu Regales Hiſpanicos.

ſtitatis amorem, idq. eo tempore quo nuper ingreſſa in Angliam hæreſi, omnis licentia atque laſciuia vniuerſam prope iuuentutem corruperat. Neque erat hæc ſcintilla quæ ad modicum ardens cito poſtea euaneſceret, ſed verum erga caſtitatem amoris incendium, firmumq. propoſitum vitam potius quam caſtitatem prodigendi. Nam cum poſtea in Hiſpania legationem obiret, ac morbum periculoſiſſimum ac moleſtiſſimum contraxiſſet, mediciq. cenſerent non poſſe eum conualeſcere niſi conſuetudinem haberet cum fœmina, degeretq. tunc temporis è regione ædium ſuarum pulcherrimũ ſcortum Anglicum quod omnibus illecebris eum ad turpitudinem pertrahere nitebatur, attamen nec conſilio medicorum, nec aliorum hortatu, nec mulieris illecebris, nec amore vitæ induci potuit, vt valetudinem corporis ſaluti animæ, aut amorem vitæ charitati Dei pręponeret, ſed reiecto prorſus omni nephario conſilio nunquam deſtitit donec etiam ſcortum ex ædibus illis exturbaſſet. O ſanctum virum, o caſtum Ioſeph, quem nec voluptas peccati, nec impunitas & occultatio facti, nec ſalutis ſpes aut mortis metus inducere potuerunt vt caſtitatem proderet, fidem vxori datam falleret, Deum offenderet. Et quamuis a Regina cito poſt

Præfert caſtitatem vitæ.

in patriam reuocatus ex hoc morbo conualuerit, quis tamen eum parem, vel certe ſimilem D. Leopoldo alijsq. ſanctiſſimis viris nō ſentiet, qui vitā potius amittere, quam cum fœmina miſceri elegerunt. Atque hanc inſignem eius caſtitatem comitabatur par vel potius maior diuini cultus, ac Religionis amor. Cum enim Edouardus Rex VI. (vel alij potius ſub eius nomine) abolita maiorum ſuorum Religione velut alter Ieroboam erexiſſet nouum altare, ac vitulos aureos, (nouum intelligo cultum, aut potius ſuperſtitionem) induxiſſet; ac omnes ferè vel nouitatis ſtudio, vel pœnæ metu, ad nouam ac nephariam illam ſuperſtitionem confluerent, noluit pius hic adoleſcens tantum facinus in ſe admittere, ſed inſtar alterius Tobiæ quæſiuit antiquum cultum Dei Patrum ſuorum, eiq. tum deuote tum palam, & interfuit, & venerationem quam maximam detulit. Ob quam rem cum in carcerem coniectus eſſet, tantū abſuit vt exinde animo caderet, vt ornato tapetibus cubiculo certiores eo perſecutores ſuos faceret propoſitum ſibi eſſe potius cum Daniele in carcere degēdi, quam a cultu Dei ſui abſtinendi. Neque ipſemet ſolum ita conſtanter Catholicam Religionem amplectebatur, verùm etiàm alios ad ſimilem conſtantiam animabat. Cum enim Pater

Conijcitur in carcerem ob cultum Dei.

eius

eius impio quorundam conſilio, ne in offenſionem certorum hæreticorum incurreret, perſuaſus eſſet abeſſe a Parlamento eo die quo ſub Edouardo VI. de mutanda Religione agebatur, vbi hoc Iuuenis reſciuit nunquam deſtitit quouſq; precibus, lachrymis, ac quibuſcunq; potuit rationibus Patrem permouiſſet, vt ingreſſus Parlamentum conſtanter pro vera Religione ſuffragium ferret. Ac poſtea cum ſub Regina Maria vera Religio iterum refloreſceret, nemo fuit illo in promouenda catholica fide ſtudioſior. Ob quē eius zelum aliasq. tanto munere dignas virtutes is potiſſimum a Regina illa electus eſt qui legatione ad Summum Pontificem obita, præteriti ſchiſmatis venia petita, ei in poſterum totius Regni nomine obedientiam ſponderet. Quod magna cum ipſius laude, ac gentis honore, Deiq. gloria ac Chriſtiani Orbis applauſu præſtitit. Ac cum paucis poſt (proh dolor) annis cœpiſſet iterum ex Elizabethæ Reginæ iuſſu de ſupprimenda catholica fide inter Regni Ordines diſceptari, clariſſimus hic Vicecomes graui, diſerta, ac forti oratione ad eos habita ſuaſit ne omni vento nouę doctrinæ ſe circumferri permitterent, ne illud refigerent quod ipſimet nuperrimè ſanxerant, ac ſolemni cæremonia inuiolatè ſe obſeruaturos ſpoponderant; ne-

Mittitur legatus ad Pontificē.

Hortatur ordines ad tenendam Catholicā fidem.

ve abolerent Religionem illam in qua omnes eorum maiores Chriſtiani tanto cum ſplendore vixerant, tanta cum pietate vitam cum morte commutarant, ac eam amplecterentur,quam pauci quidam, ijq. viles,voluptuoſi, turbulenti, & inter ſe diſcordes homunciones excogitaſſent,quæq.nunquam in Anglia pedem fixiſſet,niſi infamis libido, & bonorum Eccleſiaſticorum cupiditas Henricum Octauum tranſuerſum rapuiſſent. Cũ vero perſpiceret præcipuos ex regni primoribus partim inani ſpe Regiarum nuptiarum lactatos,partim bonorum terrenorum cupiditate occæcatos, ſana conſilia non admittere,ſed inſtar aſpidis ſurdæ obturare (vt loquitur pſalmiſta) aures ad voces quaſcunq. ſapienter incantantium,quod alijs perſuadere non potuit ipſe conſtanter tenuit ac obſeruauit. Ac ſi quando deinde Hæreticorum templa adierit, id potius Sacerdoti ſuo, homini quidem docto ac pio, ſed nimium timido, qui aliquid cedẽdum tempori ratus, vix aut ne vix quidem audebat factum illud peccato accenſere, quam illi, vitio vertendum fuit. Etenim cum mortuo illo Sacerdote alium accerſiſſet, qui ſacerdotali conſtantia illi dixit grauem culpam eſſe, Deo & Eccleſiæ exoſam, animæq. ſuæ exitioſam, Hæreticorum ſacris intereſſe, tantum abfuit

vt

vt factum ſuum ille defenderet, vt (quod ex ore illius qui intererat accepi) detracto ſtatim e capite pileo, ac flexo ad terram genu, & totius corporis geſtu & lingua, humillimè ſe ſubmitteret Eccleſiæ catholicæ cenſuræ, ſanctèq. promitteret hereticorum Eccleſias ſe vltra non aditurum, quod tota reliqua vita exactè obſeruauit. Multa alia egregia de hoc nobiliſſimo viro dicenda eſſent niſi alio me inſtitutus ſermo vocaret, ideoq. vnum ſolum modo addã vt Lector intelligat quàm ſancto fine tantus vir piam vitam concluſerit. Vbi Deo viſum fuit rubiginem peccatorum ipſius in hac vita detergere, permiſit illum incidere in longum, moleſtum, ac peregrinum morbi genus, ex quo & mortuus eſt. Quod etſi veneficio ipſi accidiſſe vehemens nonnullorum eſſet ſuſpitio, a qua opinione ipſemet non videbatur abhorrere, ac veneficæ quædam promitterent ſe illum, modo ipſe aſſentiretur curaturas ac priſtinæ valetudini reſtituturas, non modo non aſſenſus eſt earum nequitiæ, ſed opem omnem mancipiorum ſatanæ deteſtatus, ſeuerè ſuis interdixit ne quiſquam tam deteſtandis remedijs pro ſalute ſua procuranda vnquàm vteretur. Atque ita non verbis tantum cum Pſalmiſta, ſed reipſa etiam oſtendens: *Meliorem ſibi miſericordiam Dei eſſe ſuper vitas*, Longa excr-

Mori eligit quam per peccatum viuere.

Pſalm. 62.

exercitatione ad purum excoctus ſancte in Domino obdormiuit.

De mutuo amore inter D. Magdalenam ſuumq. Maritum, de liberis eius, & inſigni charitate erga Mariti liberos.

CAP. V.

EX prædicta Vicecomitis pietate non erit difficile Lectori coniecturam facere de moribus Vxoris ſuæ, quæ & ſuopte ingenio & educatione pietati deditiſſima, viri ſui exemplo amplius impulſa, magnis paſſibus ad virtutem currebat. Vixerunt ſimul annos 36. magna cum dilectione ac amore, dumq. hæc ſcriberem caſu incidi in literas Doctoris Langdalli qui multis annis ipſis fuerat a Confeſſionibus, in quibus in teſtimoniū mutui eorū amoris ac pietatis his verbis eos alloquitur: *Valete coniuges amātiſſimi vnius animi, vnius beneuolentiæ, & quod hoc ſæculo rarum eſt, vnius pietatis*. Illa (vt de S. Monica ſcriptum reliquit D. Auguſtinus) *tradita viro, ſeruiuit velut Domino, eamq. Deus pulchram faciebat, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro.* Peperit Marito liberos octo, ex quibus ſuperſunt adhuc tres, D. Georgius Brounus, & D. Henricus

Magnus amor inter Magdalenā & maritum ſuum.

Confeſſ. lib. 9. c. 9.

Liberi Magdalenæ.

cus

cus Brounus equites aurati honoratiſſimi, ac D. Elizabetha vxor D. Roberti Dormeri equitis clariſſimi, de quorũ laudibus quia adhuc viuunt, nolo (iuxta conſilium ſapientis) quicquam dicere. Reliqui vel infantes vel cęlibes mortui ſunt, nulla relicta ſobole, prętor D. Ioannam Brouunam fœminam matri virtute ſimillimam nuptam D. Franciſco Laconi, cui peperit plures liberos. Ac licet Magdalena liberos ſuos tenerrimè diligeret, eorumq. commodis (quantum ſine cuiuſquam iniuria poterat) ſummopere ſtuderet, tamen cum haberet Maritus ſuus ex priori coniugę filiolum vnicum, tenellum ac valetudinariũ, qui ſolus filijs Magdalenæ prærepturus erat paternam hæreditatem, tam ſollicitam nihilominus ipſa valetudinis illius curam egit, ac ſi propria eius mater fuiſſet. Quin imò filius illius, Illuſtriſſimus qui modo eſt Vicecomes Motis-acuti, & ſuam Patriſq. ſui vitam huius Nouercę eximiæ pietati, & ſermone (vt audio,) & literis quas infra recitabimus, acceptam fert, idemq. alij teſtantur. Cumq. etiam aliquando ex Mariti concepta offenſione oblata illi eſſet occaſio qua filiorum ſuorum fortunas plurimùm potuiſſet augere, tantum abfuit, vt ad Priuigni ſui filiorumuè ipſius iniuriam illa vteretur, vt placauerit Maritum, eoſq. cum illo in gratiam reduxerit.

Fateor nulla ſic amabat liberos Hier. de S. Paula.

Eximia charitas Magdalenæ erga priuignũ ſuum.

Seruat vitã priuigni & filij eius.

Infra c. 16.

rit. Tantum apud ipſam vel charitas Mariti, quem in liberis ſuis omnibus complectebatur, vel ingenita animi nobilitas, vel demum Dei ac recti amor valuit. Qua in re egregium Nouerçis omnibus exemplū præbuit, tantumq. exinde ſui amorem in præsēte Vicecomite excitauit, vt nullus filiorum ſuorum ipſam tenerius quam ille dilexerit. Ac licet quo tempore Maritus eius defunctus eſt, multorum iudicio ipſa morti vicinior videbatur, tantum tamen virium illi amor addidit, vt e ſtrato ſuo exurgens eum in vlnis ſuis dum expiraret contineret. Atque vt D. Hieronymus ſcriptis mandauit de S. Paula nobiliſſima vidua: *Ita eū planxit vt prope ipſa moreretur, ita ſe conuertit ad Domini ſeruitutem vt eius mortem videretur optaſſe*. Cū enim ante coniugio obligata cogitare cogeretur vt inquit Apoſtolus: *Quomodo etiam viro ſuo placeret*, Iam illo vinculo exoluta, atque liberiorem virtutis ſuæ exercendę campū nacta, amplius Deo vacare nitebatur. Neque tamē animæ Mariti ſui curam abijciebat, pro qua ſingulis ſeptimanis bis ſacram hoſtiam offerri curabat, ipſaq. officium defunctorum recitabat, quotannis in die obitus ipſius ſolenne anniuerſarium faciebat, ac frequentiſſimè cum cibum ſumebat, & alias ſæpè, etiā vſque ad extremum vitæ diem gratiſſimè illius memo-

Pietas & gratitudo eius erga Maritū mortuum.

moriam faciebat, his vel ſimilibus vſa verbis: *Deus animæ illius propitius ſit, qui mihi hæc reliquit.* Sed iam omiſſo Marito, ad illius virtutes accedamus. De quibus priuſquàm loqui incipiã hoc mihi profitendum erit, quod nec eas omnes nouerim, nec pro dignitate vllam earum poſſim explicare. Nam ſi eloquentiſſimus Pater Hieronymus faſſus fuerit, quod *Etſi omnia membra ſua in linguas, verterentur, & omnes artus humana voce reſonarent, nihil tamen ſe dignum virtutibus S. Paulæ proferre poſſe*, Quid mihi ſperandum erit qui nec Hieronymi libros ferre dignus ſum, & tamen illius Viduæ vitam ſcripturus, quæ vt S. Paulæ nobilitatem æquabat ita virtutes imitabatur. Pictores igitur ex parte imitabor, qui exercitũ aliquem in tabula deſcripturi, paucorũ quorundam militum iuſtam proportionem depingunt, reliquorum vero capita aut ſummas tantum galeas, vel haſtarum cuſpides apponunt, quo innuunt magnum eſſe militum numerum, quem ipſi animis ſpectantium potius indicare, quam oculis exhibere poſſunt. Ita mihi in huius piæ fœminæ vita ſcribenda enitendum eſſe video, vt paucas quaſdam illius virtutes mihi magis perſpectas deſcribã, reliquas vero tacito Lectoris iudicio æſtimãdas relinquam. Quamquam etiam in hoc ipſo Pictoris penicillum calamo meo fœliciorem

In vit. Paulæ.

rem futurum facile animaduerto, quippe qui quorundam ſaltem militum iuſtam ſtaturam ac membrorum omnium proportionem depingere poſſet, cum calamus meus nec vnã huius ſanctæ fœminę virtutem integrè queat deſcribere. Quod a me abſq. amplificatione dictum eſſe, & omnes qui eam norant liquidò ſciunt, & prudens Lector ex ijs quæ dicturus ſum facile colliget.

De inſigni D. Magdalenæ Humilitate. CAP. VI.

QVoniam vt grauiſſimus Eccleſię Doctor S. Hieronimus in vita S. Paulæ ſcribit: *Prima Chriſtianorum virtus Humilitas eſt*. Et vt inquit S. Chriſoſt. in Acta. hom. 30. *Eſt radix, mater, & altrix, fulcimentum & vinculum bonorum*; Ideo ſcripturi de huius piæ fœminæ virtutibus, ab illius humilitate ordiemur. Hanc in ipſa inſignem fuiſſe ex ſermone, victu, veſtibus, atque actibus apparet. Sermo enim eius lenis erat & placidus, omniq. contentione vacuus, ac cedere paratior, quam vel cum inferioribus contendere. Neque dedignabatur quempiam alloqui, quinimo cùm foràs deambularet, captabat ipſa nonnunquàm occaſionem ſermonem miſcendi cum pauperibus, qui fortè occu-

Humilitas Magdalenæ in ſermone.

In conuerſatione.

occurrebant, nõnunquàm etiàm domos eorum adibat, ac familiariſſimè cum ijs de ipſorum rebus colloquebatur. A nullius honeſtæ perſonæ conſuetudine abhorrebat, imò etiàm pauperes inuiſebat, quò ipſis maiorem apud vicinos exiſtimationem conciliaret. Veſtes ipſius poſt mariti obitum, cum iam viri cuiuſquam oculis placere non teneretur, eiuſmodi erant, vt quod de S. Paula ſcribit S. Hieronimus. *Qui eam non nouiſset ipſam non eſse crederet, ſed ancillularum vltimam.* Diebus profeſtis caput ſuum lineis pannis humilitèr inuolutum, vulgari pileo, ancillarum in Anglia more, tegebat. Feſtis vero ob dierum honorem induebat holoſerici tegumenti genus, quod quia nõ nihil ad ſimilitudinem veteris cuculli quo antiquitus fœminæ Anglicæ capita tegebãt, formatum eſt, & a Gallis mutuatum, Cucullus Gallicus dici ſolet. Toga illi in æſtate ex ſaya erat, in hyeme ex panno quem Cottonem Angli vocãt, eamq. plerumq. villoſa hybernica gauſapina ad arcendum ab humeris frigus operiebat. Tibialia ex ſerico aut acu texta nunquam induit, ſed ex panno tantum quem Cariſſeam Angli vocant. Interula ei erat ex craſſo, & denſo lino, cuiuſmodi indui nobiliores fęminæ pęnitentiæ loco ducerent. Nunquam in vita aut faciem, aut veſtes ad ſpeculum componebat,

In veſtibus.

Nunquam vultum ornabat ad ſpeculum.

nebat, quod in fœmina præſertim illuſtri, ac in Aula educata miraculi loco haberi poteſt, cum pię aliàs fœminæ huic culpæ obnoxiæ fuerint, adeo vt de Bleſilla ſcriptum reliquerit D. Hieronimus. *Quod toto die quidſibi deeſset quærebat ad ſpeculum*. Quid enim magis anxie curant fœminæ quam vultum ornare, quæ *Dum moliuntur* (Vt aiebat ille.) *Dum comuntur, dum pectuntur annus eſt*. Et de quo ſuperbiet fœmina quæ vultum negligit? vt minus mirum ſit noſtram Magdalenam immunem ſemper fuiſſe ab illa culpa cui in

In vit. Paulę. iuuentute ſuccubuiſſe etiam S. Paulam fatetur Hieronimus, nimirum; A facie ſua purpuriſſo, ceruſſa, aut ſtibio depingenda. Studium enim eius erat virtutibus animum ornandi, ac ſpeculum ad quod eũ iugitèr componebat erat ipſius conſcientia, vt ex ijs quæ infra dicemus meliùs conſtabit. Atquè vt de actibus humilitatis eius pauca dicamus.

Actus humilitatis. Qualis quæſo ille erat quem ſupra recenſuimus, quod iuuẽcula nobiliſſima, iniuſſa, imo clam Domina ſua, viliſſimum miniſterij munus ſponte obibat? Qualis ille alter quem frequentèr exercebat, vt quarumuis inopum mulierculарum partui intereſſe voluerit, ac præcincta ipſa linteo ſedulo quàm poterat opem præbere? Præclara certè hæc ſunt, ac profundæ humilitatis luculenta teſtimonia,

ſed

ſed excellentius forte ijs omnibus illud erat, cuius ego ſolus conſcius eram. Nam cum me elegiſſet cui peccata ſua ſacra confeſſione aperiret, admonui ipſam de methodo quadam conſcientiam ſuam diſcutiendi accommodatiore ſibi (vt ego opinabar) ea, qua ipſa ante vſa fuerat. Qua in re ita imperfectè fortè mentem meam explicui, vt pia Domina intellexerit ſuſpicari me quod non ſincerè peccata ſua detegeret, ſed celaret aliquid quod expiatione opus haberet. Et quid cenſes egit illuſtris ac opulenta fœmina, adeo altè (vt ſibi videbatur) in honore ſuo icta, adeòq. iniuſte tanti criminis quantum eſt ſacrilegiũ, ac diuini Numinis in Sacramentis ſuis irriſio (vt ipſa intelligebat) cõdemnata? idq. ab eo quem ipſa tanti fecerat, vt præ alijs eum animæ ſuæ ducem ac paſtorem elegerit. Quid inquam egit? num vultu, verbo, actu, aut geſtu vllum offenſionis ſignũ edidit? Imò nùm excuſauit ſe aut rogauit quid me permouiſſet, vt tam grauem de illa ferrem cenſuram? Nihil ſane horum; ſed facta humillimè reuerentia diſceſſit, atque ita integra ſeptimana permanſit, toto eo tempore nec minimæ offenſionis indicio dato. Veruntamen vbi Deus hoc pacto humilitatem ac patientiam famulæ ſuæ probaſſet, forte vt mihi oſtenderet quam humilem animã meæ

Inſignis humilitas in occulto.

curæ commiſiſſet, ſuggeſſit illi proxima confeſſione vt me interrogaret qua de cauſa ſuſpicarer, quod ipſa aliquid in confeſſione celaret, verita magis iudicium meum, quàm innocentiæ ſuæ fiſa, ac dubitans num ego aliquid perſpicerem, quod ipſa in ſe non cerneret. O ſubiectam humilitatem, o profundam animæ ſubmiſſionem huius magnæ Dominæ; ac verè magnæ, quia in oculis ſuis fuit adeo exigua. Aliqui fortaſſis pœnitẽtes ęgrè ferent interrogari de leuibus illis culpis de quibus conſcientiæ ſuæ eos reos peragunt: Alij grauatè patientur de ijs criminibus examinari quibus ipſos obnoxios eſſe iuſta ſuſpicio eſſe poſſit; At hęc humilis ac verè pœnitens fœmina contenta erat non tantum de peccatis examinari (imo hoc auebat plurimum) verum etiam (vt ſibi videbatur) condemnari, non de leui aliquo, ſed de grauiſſimo crimine, atque ex humilitate ſua magis extimeſcebat Confeſſoris iudicium, quã con fidebat ſuæ cõſcientiæ teſtimonio. Ideoque, ſi iuxta magnitudinem humilitatis illius, excellentiam reliquarum ſuarum virtutum velimus metiri (vti is fecit qui ex veſtigio Herculis illius altitudinem adinuenit) poſſemus abſque vllo alio argumento colligere præclaram illius animæ ſubmiſſionem multarum egregiarum virtutum comitatu nõ fuiſſe deſtitu-

ſtitutam. Vbi enim Deus tam ſolidum humilitatis iecit fundamentum, omni dubio procul inſigne virtutum ſuperſtruxit ędificium. Quanta enim cuiuſq. humilitas, tanta & ſanctitas. Vnde ſacratiſſima Chriſti Mater eiuſq. Præcurſor vt præ alijs omnibus humilitate, ita ſupra omnes ſanctitate enituerũt. Ex hac ergo eius humilitate proceſſit, quod frequens illi eſſet in ore, quod eſſet ſaccus ſtercorum, ac cum in vltima infirmitate semèl potus ſuus illi diſplicuiſſet, confeſtìm ſeipſam redarguens, ac vbertim flens dicebat: *Vt quid ego potum improbarem pro qua quicunque potus nimiùm bonus eſt?* Atque tandem ita perfectam de ſuperbia victoriam adepta fuerat, vt parùm ante obitum cum magna in Deum fiducia ac animi conſolatione mihi dixerit, quod deinceps ſuperbiam non timeret. O fœlicem fœminam, quæ in terris de illo uitio triumphare poterat, quod ſupremos Cherubinos de ſummo cœlorum uertice deturbauit, ac primos Parẽtes è Paradiſo eiecit, quoque ipſo Pietas hoſtem capitaliorem non habet. Vt enim difficillimum eſt flammam ſupprimere, ita arduum eſt non ſuperbire cum aliquid laude dignum egeris. Quam altè ergò modo Deus hanc fęminã extulit, qui pollicitus eſt ſe humiles exaltaturum? ac quam iuſtè uendicare illa poterit locum lapſorum

Dictum & factum humile.

Triumphat de ſuperbia

Angelorum, quæ per humilitatẽ illuc aſcendit, unde illi per ſuperbiam ceciderunt?

De egregia illius caſtitate.
CAP. VII.

PROXIMA de qua loquemur huius piæ fęminæ virtus, eſt illius Caſtitas. Hęc in vtroque ſexu eſt pretioſiſſima. Vt enim teſtatur Eccleſiaſt. c.29. *Non eſt digna ponderatio continentis animæ*, præcipuè tamen ſplendet in fœminis tamquàm præcipuus flos in earum ſertis, adeo vt dicat idem Eccleſiaſticus c.26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*. Mulier vero hac virtute vacua, *tamquam ſtercus in via conculcabitur*, vt idem inquit cap.9. Aequabat autem huius fœminæ caſtitas illius humilitatem, cuius rei tum Virginitatis, tum Nuptiarum, ac Viduitatis tempore luculenta dedit teſtimonia. Nam cum puella adhuc in Aula verſaretur, ac Philippus Rex, qui Reginam Mariam duxerat, iuueniliter feneſtram, vbi faciem ſuam fortè ipſa lauabat, aperuiſſet, ac brachium iocantis more immiſiſſet; quod altera fortaſſe honori ſibi duxiſſet, eoq. fuiſſet lætata, illa ſciens rem ita ſe habere cum virginibus, vt ſe habet cum floribus, qui etiam tactu nonnihil decoris

ris amittunt, ſuæ puritatis potiùs quam Regiæ Maieſtatis ratione habita, arrepto quod propè iacebat bacillo Regis brachium fortiter percuſſit. Quod factum eius non modo nullam ſibi offenſionem apud prudentem Regem peperit, verum etiam laudem atque exiſtimationem auxit. At quo pacto quæſo alium quempiam reieciſſet quæ ſic Regem repulit? aut quid non egiſſet contra Regem nepharium quidpiam attentantem, quæ ſic iocantem excepit? Cum eſſet nupta ita ſe geſſit vt quod de S. Paula ſcribit D. Hieronymus: *Omnium Matronarum exemplum fuerit, atque ita ſe geſſerit ut numquam de illa etiam maledicorum auderet fama confingere*. Quis enim aliquid inhoneſtum de ea referre potuit? quis vnquam impurum ſermonem de illius ore audiuit? quis laſciuum aſpectum deprehendit? quis parum caſtam affectionem detexit? Neque tamen vel caruit ipſa occaſione laſciuiæ dum vir eius ter ab Anglia abeſſet, vel defuerũt nepharij ſollicitatores, ijq. ex ſummis Angliæ primoribus, quorum tamen ſermonem vbi eo ſenſit tendere, cum ſancta quadam indignatione ita eos repulit vt non auderent bis idipſum tentare. Atque hæc eius caſtimonia ita perſpicua ac nota erat, vt etiàm inuerecundorum hominum mores componeret ac linguas frænaret, vt coram

Acriter reijcit Regem iocantem.

Nõ erat qui loqueretur de illa verbum malũ. Iudith 8.

Frænat laſciuiam inuerecũdorum.

ipſa erubeſcerent obſcœnum aliquid vel tentare, vel dicere. Ac licèt ſupremum caſtitatis gradum qui eſt Virginitas non elegerit, fortè tamen id defectui conſilij (quod ſibi multum in adoleſcentia defuiſſe ſæpenumerò dolebat) potiùs quam deſiderio ſequendi quod optimum erat, aſcribi poterat. Cùm enim octodecim tantum eſſet annorum, ac nuper nupta, quando vir eius ad celebrem illam S. Quintini obſidionem mittebatur, firmiter induxit in animum, quod illo mortuo nullum alium virum cognoſceret. vt de ea ſentire poſſemus quod de S. Paulina ſcribit, Hieronymus: *Semel inito matrimonio nihil aliud diebus ac noctibus cogitauit, niſi vt reddito fructu nuptiarum ſecundum caſtimoniæ gradum arriperet.*

Epiſt. 26.

Recuſat iterum nubere.

Etenim cum defuncto marito ſuo Illuſtriſſimus Baro de Cobham, vir in Anglia multarũ diuitiarum, honoris & auctoritatis, nuptias eius ardenter ambiret, ampliſſimamq. illi dotem offerret, ita conſtanter eum recuſauit vt in poſterum non amplius a procis ſollicitaretur. Exemplum non ita frequens in Anglia in hoc corruptiſſimo ſæculo, vbi nonnũquam illuſtres fœminæ poſt maritorum obitum cum paris ſibi dignitatis maritos non inueniant, etiam famulis ſuis aut mediocris conditionis hominibus nubunt. Hunc in modum vixit Illuſtris hæc fœmina tota vita:

Sine reprehenſione, in medio (vt loquitur Apoſto- Philip. 2.
lus:) *Nationis praua, ac peruerſæ, inter quos lucebat tanquam luminare in mundo.* Atque hæc licet præclaræ caſtitatis argumẽta ſint, vnũ tamen addam multo rarius atque excellentius, cuius fides etſi ipſius ſolius teſtimonio nitatur, cum tamen nouerim Deum *diuidere* (vt loquitur Apoſtolus) *ſingulis prout vult*, ac maiora famu- 1. Cor. 12.
lis ſuis dona impertijſſe, taliſq. ipſa fuerit fœmina, vt quotquot eam nouerunt ſuſpicari iure non poſſint quod voluerit ob inanem gloriam Confeſſario ſuo imponere, parum vereor ne apud æquum Lectorem fidem non inueniat. Erat autem iſtud. Quod nunquam in vita ſua inuoluntarios carnis aculeos, ſeu (vt loquuntur) Rebellionem ſenſerit qua ad libidinem animus eius excitaretur. D. Magdalena nunquã ſẽſit carnis rebellionẽ.
O ſingularem caſtitatem! O guſtum quẽdam ſtatus innocentiæ! O amoris diuini erga hanc fœminam argumentum maximũ! Qua enim puritate Deus illius animam excoluit, qui ita carnem eius ornauit, quantum theſaurum in tam diuite arca recondidit? quam purum tabernaculum Sancti ſpiritus fuit illa anima, quæ tam purum ac caſtum corpus incolebat? Neque tamen hoc totum eſt quod in hoc genere de hac caſta muliere referre poſſum, ſed quod de ſe ipſo vitam S. Paulæ deſcribente ait Hieronymus, *Multa cogor de-*

trahere ne rerum excedam ſidem, & apud detractores ſingere puter. Quam vero caſtam animam habuiſſe eam putes, quæ intimo ac accerrimo caſtitatis hoſte caruit? Ac ſi quando animæ ſuæ hoſtis id ſuggereret ad quod caro nō alliciebat, ſi vigilaret confeſtim non ſolum ex animo illud reijciebat, ſed excreatione etiam aut aliquo ſigno exteriori quantum id deteſtaretur indicabat. Si vero inſomnis id contingeret cum iam ratio ſopita opem nequiret afferre, caſtum tamen corpus ita luctabatur ac contendebat turpem illam ſuggeſtionem expellere, vt mentem e ſomno excitaret, quo facto facilis erat victoria. O fælicem fœminam cuius etiam caro (in qua etiam in
Pſal. 37. ſanctis viris, vt loquitur Propheta, *Non eſt ſanitas, Sed lumbi eorum implentur illuſionibus, & vſque ad noctem increpant eos renes*, a fęditate immunis erat. Eximium caſtitatis gradum cenſuit D. Gregorius, *cum abſtinentes* (inquit) *quoſ-*
6. Mor. c. 17. *que diuina gratia perfecte remunerat, non ſentire aculeos, aut violentiam motionum carnis*: at mulier hæc nec violētiam motionū, ſed nec motionem ſenſit. O quale monile caſtitatis amiſit terra! quantum cælum eius morte lucratum eſt! Sed iam patientiam eius videamus.

De

De ſingulari eius Patientia. CAP. VIII.

PAtientiam adeo neceſſariam omni homini Chriſtiano eſſe Seruator noſter affirmat, vt in ea poſſeſſuros nos animas noſtras pronunciet, ac ſi abſque ea nec ſui Dominus eſſet homo, ſed cæco affectionis impetu huc illucque raperetur. Atque erat hæc virtus in Magdalena ſupradictis non inferior. Etenim non ad tempus aliquod, aut in aliquorum ſocietate, vel quibuſdam occaſionibus, ſed in toto vitæ decurſu admirabilis apparebat omnibus qui eam nouerant. Neque enim erga peregrinos tantum, aut æquales ſuos patienter ſe geſſit, ſed etiam erga familiariſſimos, adeoque erga famulos ſuos ac famulas, a quibus obiurgandis ſi quid contra ipſam deliquiſsẽt ſolebat abſtinere, ne (quod ſæpe dicebat) in iracundiam incideret. Magis de patientia ſua ac animi tranquillitate, quam de rebus ſuis temporalibus conſeruandis ſollicita. Cum vero aliquid accidiſſet, quod reprehenſionem commerebatur, alteri ſolebat dicere. *I, & rem cum tali expoſtula.* Tãtumque a conuitiandi vitio aberat, vt nec verba omnia noſſet quibus inter conuitiandum

Luc. 21.

Patientia diuturna.

nõ vult famulos obiurgare ne iraſcatur.

dum homines vti ſolent, ideoque cum non multo ante mortem audiſſet mulierem alteri conuitiantem, palam dicebat ſibi vſque ad illum diem huiuſmodi ſermonem fuiſſe inauditum. Solebat dicere, *Bonum verbum pari facilitate, ac malum proferri*. Cumque famulorum ſuorum vnus ſub lecto in quo cum marito ſuo dormiebat ſe abſcondiſſet, vt auſcultaret quid conſilij ipſa tunc temporis marito ſuggereret, vt eam apud alios deferret; vbi ipſa impudens illud atque indignum facinus intellexit, non modo rem marito ſuo non aperuit, quod paucarum mulierum fuiſſet, ſed quod vix vlla feciſſet, eũ a conſequendo beneficio quod poſtea vir ſuus illi contulit, nõ impediit. Magnæ certe patientiæ fuit tam inuerecũdam famuli ſui in ſe iniuriam nullo pacto vindicare; maioris non indicare; at illud maximę, quod ſoleret benefactis aduerſarios ſuos ad culpam ſuam agnoſcendam inducere: Tantumque valuit hæc illius patientia apud duos inſigniores ipſius aduerſarios, vt flexis coram ea genibus errorem ſuum deprecati ſint. Eratque huiuſmodi in ea patiẽtia eo mirabilior, quo natura erat biliofior, tantumque in corpore eius poſt mortem bilis inuentum eſt, vt qui viderunt ac mitiſſimum illius viuendi morem nouerant, mirum in modum obſtupeſcerent. Tam mitis ac dul-

Mite verbũ Magdal.

Præclara patientia erga impudẽtem famulum.

Patientia vincit aduerſarios

dulcis erat illius conuerſatio, vt ad ſocietatem ſuam cuiuſcunque conditionis homines alliceret; quodque mirum erat, omnis ætas omnis ſtatus, vterque ſexus æqualiter illius conſuetudine capi videbatur, ſeq. ita probis cuiuſq; moribus accõmodabat, vt tamẽ nihil ſeipſa indignum, aut ætati ſuæ ac grauitati indecens admitteret. Inuitiſſima quenpiam verbo, vultu, aut actu offendebat; imo ne alijs conquerendi occaſio eſſet, quod moleſtum videbatur ipſa ſumebat. Ac quod in matre ſua S. Auguſtinus munus grande Dei vocat, vt cum aliqua ſecretò ei de alia fuiſſet conqueſta, *nihil tamen alteri de altera proderet niſi quod ad eas reconciliandas valeret*, illud in hac fœmina fuit & præclarum ac perſpicuum. Atq; huiuſmodi patientia vtebatur non modo cũ bona valetudine frueretur, verum etiam cũ morbis laborabat, vt patebit ex iis quæ infra de extrema eius infirmitate referemus, in qua non contenta cruciatibus quos morbus infligebat, his ſæpe verbis Deum cõpellabat. *Domine plus pœnæ, & plus patientiæ.*

Omnis cõditionis ætatis homines eius cõſuetudine delectãtur.

Celat aliorũ querelas

9. Conf. c. 9.

Præclara patientia.

De prompta eius obedientia.
CAP. IX.

QVam obediens hæc pia fœmina fuerit facile colligi poteſt ex ijs quæ de inſigni

gni eius humilitate diximus. Quid enim dedignaretur facere, quæ ita humiliter de ſe ſentiebat? quid iuſſa recuſaret præſtare, quæ iniuſſa viliſſimum miniſterij munus obibat? Ac quam ſollicitè putamus marito ſuo obtemperaſſe, quæ ſic Dominæ ſuæ famulabatur? Dubio procul, & piè parẽtibus obſecuta eſt, ob quod longa vita ei benedixit Deus, ac ſollicitè marito ſuo parebat eiusq; voluntatem adimplere ſatagebat, ob quod ſæpè ſolebat dicere ſe in ſancto Iacobo (is locus nuptiarum ſuarum fuit) voluntatem ſuam reliquiſſe. Inſuper religiosè ſe Confeſſori ſuo ſubmittebat, cuius rei multa afferri poſſent exempla, ſed vno contentus ero. Hæc enim humilis, ac obediens fœmina conſilio Medici, ac rogatu Confeſſoris ſui in vltima infirmitate ſua, etiam die Cinerum (quod nunquam prius in vita fæcerat, ac ſanctè horrebat facere) perſuaſa fuit carnibus veſci. Adeo Confeſſoris ſui preces propriæ voluntati, ac antiquiſsimæ religioſiſſimæque conſuetudini prætulit. Hoc tamen ea cautela, ac ſcandali metu egit, vt iuſſerit paruulas ſuas Neptes abduci, ne quæ incapaces eſſent cauſæ intelligendæ ob quam carnibus veſcebatur, ſuo poſtea exemplo abuterentur. Qua etiam de cauſa cum hæreticus quidam cubiculum ſuum ingreſſus, inueniſſet eam

Dictũ Magdalenæ de ſua obediẽtia.

Cauet ſcãdalum.

car-

carnes in Quadrageſima edentem, non eſt oblita ei dicere ſe carnes edere nõ gulæ gratia, aut in contemptum præceptorum Eccleſiæ, ſed potius ex obedientia erga Eccleſiam, quæ infirmis, ex vtriuſque Medici conſilio eſum carnium indulget. Alio etiam tempore cum ad eam conſolandam ac animandam ei dictum eſſet quod ipſa ita grauiter morbo laborans, veſcens ex vtriuſque Medici ſui conſilio carnibus, poſſet plus mereri edendo, quam alij ieiunando, rogauit vt ab huiuſmodi ſermonibus temperaremus, ne homines plus nimiò procliues ad indulgendum gulæ ieiunium contemnerent. Cum autem reſponſum illi eſſet, non ſimplicem eſum, ſed tantummodo eſum ex obedientia præferri ieiunio, quandoquidem in ieiunio eſt abſtinentia à cibis, at in eſu ex obedientia, eſt propriæ voluntatis, (quam homines cibis etiam delicatiſsimis præferunt) abnegatio: Quodque ſuum exemplum nõ erat ſimplicis eſus, ſed eſus ex obedientia contra propriã mentem, in quo non nimis multos ſequaces habitura eſſet; cum (inquam) hæc audiſſet, conticuit, ſeque paratam obtulit ad omnia, his ſæpè vtens verbis: *Facite de me quod vultis, nolo enim amplius voluntatem habere.* Ac certè talis erat eius obedientia toto tempore longæ ſuæ infirmitatis, vel in abſtinendo ab eo, quod

Dictum obedientiſſimum.

Inſignis obedĩetia in infirmitate

quod

quod appetebat, vel in ſumendo quod illi offerebatur, vt magnam excitarit admirationem omnibus fœminis quæ ei ſeruiebant; quæ in ea regenda nihil amplius difficultatis inueniebant, quam ſi innocentem infantem curaſſent.

De beneficentia ſua erga alios.
CAP. X.

VT nihil de illius liberalitate erga fratrem, & affines ſuos, vel de hoſpitalitate erga nobiles dicam, quia hæc naturæ potiùs quam virtuti attribui ſolet, tantum loquar de beneficentia ipſius erga alios. Alebat familiam copioſam, in qua verſabantur quotidie octoginta, & nonnunquam plures, ac ferè omnes Catholici. Atque hos alebat non tantum ob ſplendorem ſuum (vt mos eſt nobilium in Anglia) verum etiam ad tuendum eos in catholica Religione, ijsque præbebat non modo copioſum victum, ac idoneam mercedem, ſed (quod multo magis æſtimandum erat) eandem copiam verbi Dei ac ſacramentorum, qua ipſa fruebatur, illis ſuppeditabat; ac quoad poterat ſecuritatem à moleſtijs, ac perſecutione hæreticorum. Quod beneficentiæ genus multo præferendum eſt, etiam maximarum pecuniarum in

Quantam familiam alebat.

elee-

eleemoſynam largitioni. Nam in huiuſmodi eleemoſyna, pecunia tantum datur, at in pia huius fœminæ beneficentia, non pecunia ſolum; ſed cibus etiam, domicilium, tuitio à perſequutione, exercitium Religionis, ac Sacramentorum vſus confertur, ac Catholicorum quidam cœtus colligitur, ac conſeruatur. Domi ſuæ tres Sacerdotes aluit, ac aduenientes quoſcunque hoſpicio excepit, ac raro quempiam eorum, niſi collato ei vno aut altero Angelotto Anglico dimiſit; duos è carcere ſuis pecunijs redemit, idem obtulit pro alijs; atque alijs Catholicis tum ſeorſum tum communiter pecunias conferebat. Eleemoſynæ illius ad domus ſuæ portam indigentibus alternis diebus diſtributæ copioſæ erant, ac tantæ, vt ditiores quidam ex hæreticis calumniarentur eas egentium numerum augere, eorumque otium alere. Cum ab orationibus abeſſet, ſolebat ſæpenumero tempus inſumere in conficiendis pro pauperibus viris ac fœminis induſijs, ſiue interulis, quo in opere plurimam videbatur delectationem capere, nonnunquam etiam cum otium eſſet pauperes in eorum ædibus inuiſebat, eiſque mittebat, vel medicamenta, vel cibos, vel ligna, aut pecunias, prout videbat eos opus habere; ac cum per ſeipſam hoc præſtare non poſſet pediſſequas ſuas mitte-

Quot bona proueniunt ex alita catholica familia.

Angelottus valet 20. regales Hiſp.

Eleemoſynę illius.

bat. Quod charitatis genus, nec in maxima, ac vltima ſua infirmitate intermittebat, ſed etiam tunc inquirebat quomodo pauperes ſe habebant, eorumque morbis condolebat, cum ipſa maxime omnium commiſeratione indigeret.

De zelo & conſtantia eius in tuenda, ac profitenda Catholica fide.

CAP. XI.

QVam grata res Deo ſit eius fidem confiteri, apparet ex illis Chriſti Saluatoris verbis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et è contrario quam Deo exoſum ſit fidem illius abnegare, conſtat ex reliquis verbis: *Qui vero negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Quam autem conſtans Magdalena fuit, non tantum in tenenda, ſed etiā in profitēda Chriſti fide, non ex vno actu, ſed ex toto vitæ ſuæ decurſu liquet. Etenim in illis turbulentis, & mutationi maximè obnoxijs temporibus ſub Regibus Henrico VIII. & Edouardo VI. ac Regina Eliſabetha, conſtantiſſima in fide per-

Matth. 10.

manſit. Ac ſi quando hæreticorum templa ſub initio regni Eliſabethæ adierit, id potius defectui inſtructionis quam zeli adſcribendum erit. Vbi enim id illicitum eſſe intellexit, conſtantiſsime abhorruit. Ac quamuis ſub Eliſabetha aliam paſſa nō ſit propter Religionem moleſtiam, quam quod ſemel accuſata ſit apud Pſeudoarchiepiſcopum Cantuarienſem, bis inquiſitū ſit in eius ædes, ac Sacerdos ſuus ſemel in carcerem abreptus; parata tamen erat pati quidquid Deo viſū fuiſſet, ſeſeq; periculo expoſuit. Cū enim duas haberet, eaſque magnificas ædes, vnam è regione Londini iuxta pontem in ipſa Tameſis ripa ſitam; in ea, ab initio cœptæ per Eliſabetham Reginam perſecutionis, commune fuit Sacerdotum Angliam ingredientium aut egredientium receptaculum, ac etiam Londini commorantium perfugium; in qua item vnus Sacerdos degebat, qui Catholicis illuc cōfluentibus Sacramenta præbebat. In his ædibus hoc relatu dignum accidit, quod obiter referre non pigebit. Cum quidam in Sacello huius domus (quod olim ad Canonicos regulares ſpectabat) foderent in loco vbi præcipuum altare olim fuerat, ſub ipſo altari, vel prope, inuenerunt loculum plumbeum, in eoque linteo inuolutum ac funibus arcte ligatum corpus Religioſi

Aedes Magdalenæ cōmune receptaculum Sacerdotū.

cuiuſdam ibi ante multos annos ſepulti, ita integrum, flexibile, ac colore viuido, vt viuũ videretur. Magdalena, vt ipſa mihi retulit, immiſſis in os eius digitis, linguam paululum extraxit, quæ rubicunda & ſicca erat; & alter cultro fidit partem carnium, quæ intus integerrimæ & pingues videbantur, nullo apparente inditio, vel balſami, aut vlterius cuiuſpiam, quod corpus illud à putredine conſeruaret. Atque huius rei ſuperſunt adhuc multi teſtes oculati fide digniſsimi. In altera æde, quæ ab Haſtingis quatuor miliaribus diſſita, à luctuoſo prælio, quod illic inter Guilielmum Conqueſtorem & Haraldum Regem geſtum eſt, *Battel* nuncupatur, vbi ipſa plerumque cum ſua familia degebat, tres alebat Sacerdotes, quorum vnus erat D. Thomas Morus, magni illius Thomę Mori quondam Angliæ Cancellarij, & martyris clariſsimi pronepos & hæres, qui proaui ſui virtutum potius quam facultatum particeps eſſe malens, relicto iuniori fratri ſuo ampliſsimo patrimonio, literis & virtutibus egregiè excultus, & ſacerdotio initiatus, patriæ ſuæ cõuerſioni ſe totum deuouit, in qua procuranda iam pene viginti annos ſtrenuè laborat. Alter erat D. Thomas Smitheus S. Theologiæ Baccalaureus, vir non minus ob eruditionem, eximiam pietatem, atque indefeſſum

in iu-

in iuuanda patria ſtudium, quam ob canitiẽ, venerabilis. Tertius ego eram. Hi non ſolũ D. Mag. ac familiæ ſuæ, ſed Catholicis vndecunque confluentibus Dei verbum, ac Sacramenta miniſtrabant. Sacellum in ſuis ædibus, quod in tanta perſecutione mirum eſt, conſtruxit, vbi pulcherrimum altare lapideũ conſtituit, ad quod gradibus aſcenſum fecit, ac cancellis circundedit; ac ne quid deeſſet, chorum etiam Cantoribus exſtruxit, ac demum Sacerdotibus ſuggeſtum (quod forte nec in tota reliqua Anglia cernebatur) erexit. Hic ſingulis ferè ſeptimanis concio ad plebem habebatur, ac ſolemnibus Feſtis Sacrum cum cantu, ac inſtrumentis muſicis, & aliquando etiam cum Diacono, & Subdiacono celebrabatur. Tantusque erat Catholicorum concurſus, vt aliquando ſimul centum viginti interfuerint, ac ſexaginta eodem tempore Sacroſancto epulo refecti. Tantaque erat Catholicorum in ædibus eius commorantium, aut illuc aduenientium frequentia, & ſplendor, vt illis hæretici ipſi ad ſempiternum nominis D. Magdalenæ celebritatem *Parua Roma* titulum indiderint. O fœlicem, ac veram Romanæ fidei cultricem fœminam, quæ, vbi locorum ipſum Romæ nomen ita pleriſque exoſum eſt, vt illud prorſus delere ſummis votis expetāt, ac totis viri-

Sacellũ cũ ſuggeſto, ac choro in ſuis ædibus extruit.

Miſſa ſolẽniter celebrata.

Concurſus Catholicorum.

Aedes Magdalenæ dicuntur parua Roma.

bus ſatagant; ibi illud ipſa non ſolum ab interitu vindicauit, verum etiam ita illuſtre reddidit, vt ſuis ædibus illud indi meruerit. Affigant alij ędibus ſuis quos libet titulos, hic vnus *Paruæ Romæ*, ob aſſertam Romanam fidem, ædibus tuis Illuſtriſsima Magdalena ab hæreticis inditus titulus, illis omnibus ſublimior illuſtriorque apparebit. Dum Sacro, aut Concioni intererat, non ſe metu, ne proderetur ab aliquo falſo fratre, vt aliquando in Anglia accidit, occultabat, ſed palam in omnium conſpectu, vt omnibus ſuo exemplo animum adderet, Deum colebat; ac cum prodibat, aut Roſario, aut Cruce quam è collo geſtabat, Catholicam ſe eſſe quorumuis hęreticorum oculis demonſtrabat; adeoque celebris erat illius Religio, vt vix quiſquam in Anglia nomen eius audiſſet, qui nō etiam Catholicam eam eſſe nôſſet. Neminem ab audiendo in ſuis ædibus Sacro prohibebat, qui leuiter vlli Catholico notus eſſet, illis vſa verbis: *Accedant miſelli, illi æquè ac nos conſolationem cupiunt*. Ac quod alijs incuſſiſſet ob perſecutionem timorem, id magno eam gaudio perfundebat: nimirum cùm diebus Feſtis magnam in Sacello ſuo Catholicorum frequentiam videret, vt præ lætitia lachrymas nonnunquam funderet, Deoque gratias ageret, quod ſua ope tot piæ animæ

ſpi-

ſpiritualem conſolationem caperent. Imò eouſque proceſsit huius piæ mulieris in fide propaganda fortitudo, vt bis mihi obtulerit licentiam inſtrumenta impreſſoria ſtatuendi, ac libros Catholicos in ſuis ędibus imprimendi; idque factum fuiſſet niſi difficillimũ, ac penè impoſſibile fuiſſet talem rem in tam ampla familia hæreticos cælare. Magnam illi hæc virilis in fide conſtantia apud vicinos hæreticos peperit inuidiam: qua permoti quidam eorum, nomen illius ac totius propemodum familiæ ſuæ in publico conſeſſu iudicibus detulerunt de non obſeruata lege adeundarum quolibet menſe Eccleſiarum. Qua lege iubetur, vt quæcumque perſona ſexdecim annorum per menſem à Proteſtantum eccleſijs abſtinuerit, coercita intra circuitum quinque miliarium à domo ſua libertate, ſoluat etiam prout Regi videbitur, vel ſingulis menſibus octoginta aureos, vel amiſſis omnibus bonis mobilibus, cedat etiam duabus terrarum ſeu fundorum tertijs partibus fiſco; ac ſi famulum, aut famulam eiuſmodi aluerit, ſoluat etiam ſingulis menſibus pro ipſo quadraginta aureos. De qua lege Magdalena prima fuit ex illuſtribus perſonis, quæ in Anglia in iudicium publicè vocata fuit. Cæterum illa adeo non eſt hoc iniquiſſimo facto exterrita, vel vllum

Offert licentiam imprimendi libros Catholicos in ſuis ædibus.

D. Magdalena prima ex illuſtribus perſonis in Anglia accuſa

ta de lege adeundarũ eccleſiarũ hærericorum.

propterea famulorum ſuorum dimiſit, vt accepto de eo nuncio iucundo vultu dixerit: *Si Rex vult habere duas tertias fundorum meorum, hilariter viuam ex reliqua, ac gratias ago Deo; qui eis me frui hucuſque permiſit, & nunc eas auferri ob fidei ſuæ profeſſionem permittit.* Cum eſſet periculum ne in domum ſuam inquireretur, magis erat de Sacerdotibus ſuis, quàm de ſeipſa ſollicita, ac cum tempore famoſæ ſulphurariæ proditionis, grauiſſimis atque præſentibus periculis terreretur, ne domi ſuæ Sacerdotem retineret, non tamen ceſſit, ſed dimiſſo admonitore, Sacerdoti ſuo virili & fiducia in Deum pleno animo dixit: *Recitemus Litanias, ac totam rem hanc Deo committamus.* Tum aliàs ſæpe, tum cum extrema infirmitate decumberet, filijs ſuis ſeuerè præcepit, famulos animauit, omnes grauiſsimè hortata eſt, vt mundi bona negligerent, Catholicam fidẽ conſtanter retinerent, in Deo ſpem reponerent. Quo tempore hanc conſolationem impertitus eſt illi Deus, vt duos ſanguine ſibi coniunctiſsimos, exemplo ac monitis ſuis, ad Eccleſiæ gremium reduceret. Ac ſanè multum illius pietati adſcribẽdum eſt, quod cum ex liberis, nepotibus, ac neptibus ſuis, circiter triginta ſuperſtites reliquerit, omnes etiã reliquit conſtantes Catholicæ fidei cultores. Atque etiamſi liberos ſuos tenerrimè diligeret

Virilis animus in præſenti periculo.

Duos ſibi ſanguine coniunctiſſimos reducit ad Eccleſiam.

Tota eius progenies Catholica.

ret; veruntamen adeo fidem naturæ prætulit, vt ſæpius diceret plurimùm ſe gauiſuram, ſi eorum quiſpiam ob Catholicam fidẽ morte afficeretur. Nec dubito quin ſi Deus experiri voluiſſet, Machabeicæ in ea matris animum vidiſſemus. Optat filios occidi pro fide.

De eius inſigni in Deum pietate.
CAP. XII.

NVtrix omnium virtutum pietas eſt, ac deuotio in Deum, quæ in Magdalena valde inſignis erat. Omni enim die matutinis, ac veſpertinis precibus, quæ iugiter in ſuo Sacello à Sacerdotibus ſuis recitabãtur, intererat. Plerumque quolibet die tria Sacra audiebat, ac libentiſſimè plura audijſſet ſi potuiſſet: tantoque erga hoc diuinum ſacrificium amore afficiebatur, vt cum vlla ex cauſa in hyeme ante lucem fieret, ipſa frigido illo ac intempeſto tempore in lecto ſuo contineri non potuerit, ſed exurgens abeſſe a cæleſti illo ſacrificio non ferebat. In priuatis ſuis præcibus diebus ſingulis tria matutinalia officia recitabat, nimirum B. Virginis S. Spiritus, & S. Crucis, quibus addidit tria ad minimum Roſaria, Pſalterium Ieſu, quindecim S. Brigidæ preces, quæ quia ab O in-

Deuotio Magdalenę erga Miſſæ ſacrificiũ.

Priuatæ eius preces diurnæ.

cipiunt

cipiunt vulgo dicuntur quindecim illius O, ac communes Litanias, & demum aliquando Defunctorum Officium. Quas preces cum per ſeipſam in infirmitate ſua non potuiſſet offerre, eas ab aliis diſtributa ſua cuique portione, recitandas curauit. Atque vt multa paucis complectar, maximam diei ac bonam noctis partem in oratione conſumpſit. Nam cum mane ſatis diluculo ſurrexiſſet, plerumque toto pene reliquo tempore vſq; ad prādii horam orationi vacabat, atque e prandio nonnunquam ſola ſacellum & orationem repetebat, itidē ante cœnā vnā aut duas plerūque horas in præcibus conſumebat, atque antequam cubitum iret Litanijs ac conſcientiæ examini vacabat. Atque aliquando obſeruaui eam nocte Chriſti natali dicata, ab hora vna ante mediam noctem vſque ad exiguum ante prandium tempus nunquam è ſacello diſceſſiſſe, niſi paululum ad ſeipſam veſtiendam; ſed toto eo tempore peruigilē in precibus, ac ſacris actionibus permanſiſſe. Sæpius inuenta eſt in cubiculo ſuo humi in orationibus proſtrata, etſi ſoleret cum eam æſtus devotionis abriperet, fores claudere. Noctu etiam cum alij ſomnum caperent, audita eſt à famulabus ſuis Roſarium recitare, quod in eum finem ſemper lateri lecti ſui appenſum erat. Ac quod de S. Lea ſcribit Hieronymus:

Quantum tēporis in oratione cōſumpſit.

mus: *Familiam ſuam plus exemplo docuit, quam verbo*, ſuaque pietate omnes ad deuotionem acuebat. Et licet ob ætatem exempta ipſa eſſet à ieiunio, ſanctè tamen obſeruauit omnia ieiunia Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & alia quæcunque, ſiue ab Eccleſia præſcripta, ſiue pia Patriæ ſuæ conſuetudine introducta, cuiuſmodi ſunt ieiunia omnium ſextarum feriarum, & alia quædam; quibus etiam omnibus ex ſua pietate addidit nonnullas quartas ferias. O verè piam fœminam atque imitatricem ſanctæ illius viduæ, quæ *non diſcedebat è templo, ieiunijs & orationibus ſeruiens Deo die ac nocte*. Tantoque erga orationem ac colloquium diuinum amore ferebatur, vt tæderet eam curæ rei familiaris, quam libenter in alium quempiam reieciſſet, eaque de re mecum aliquoties loquebatur, vt ipſa tota Deo vacaret, niſi obſtitiſſent impedimenta, quæ ipſa amouere non poterat. Sacerdotibus ſuis ob honorem Dei ſummã exhibebat reuerẽtiam, eorumque genibus mane ac veſperi aduoluta, humillimè benedictionem ipſorum expetebat, quod etiam alijs Sacerdotibus faciebat cum ad eam accederent, vel diſcederent. Quem honorem ab initio Anglicanæ Eccleſiæ Sacerdotibus noſtris exhibitum, vt teſtis eſt Beda lib. 3. hiſt. cap. 26. ſed diu intermiſſum, frequentes

Epiſt. 24.

Frequenter ieiunat.

Luc. 1.

Sũma eius reuerentia erga Sacerdotes.

eorum

huius fœminæ pietas in confitendo frequenter, in confitendo cum magno candore, contritione, ac deſiderio ſatisfaciendi Deo pro peccatis, cui reſpondebat eiuſdem pietas erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum. Nam cum hoc modo animam a peccatis purgaſſet, acceſſit cum magna fame ad ſumendum vitæ panem, ac quanta cum externa reuerentia, ac corporis humiliatione, tum acceſſerit ad ſacrum Chriſti altare tum ab eo diſceſſerit, quantis in oculis lachrimis, quantaque in vultu reuerentia ſarum illud epulum ſumpſerit, perſpiciebant illi qui eam intuebantur. Quanta vero cum interna pietate, quamque accenſa in Deum charitate, in cordis hoſpitium Saluatorem ſuum admiſerit, ſolus ille vidit qui cordium ſecreta videt.

Pietas erga Euchariſtiæ ſacramentum.

De mirabili prouidentia Dei erga Magdalenam.
CAP. XIII.

QVemadmodum pia hæc fœmina peculiarem ſollicitudinem habuit ſeruiendi ac placendi Deo, ita ipſe viciſſim particularem curam ac prouidentiam illius geſſiſſe videtur. Cuius pauca exempla apponam.

ponam. Quo tempore nupta erat, incidit in magnam ac diuturnam animi triſtitiam ac mæſtitudinem, ob familiæ ſuę (vt ipſa aliquādo dicebat) ruinam illatam ab eo in quo ipſa ſubſidij ſpem poſuerat; Quę mœſtitia cum tanta eſſet vt & omnem medicorum artem, & amicorum conſilium vinceret, tandē Deus famulæ ſuæ miſertus dignatus eſt eam aliter curare. Nam per ſomnium (quod particulatim ipſa mihi aperuit) clare ac dilucide ei demonſtratum eſt, quid illi agendum eſſet vt ab ea moleſtia expediretur. Quod cum ipſa præſtitiſſet (erat autem opus valde pium) confeſtim curata eſt ab eo animi morbo, quē nulla humana ars, medicina, aut conſilium ſanare valuit. Ex hac probatione vt ipſa ſæpe numero fatebatur, maiorem ſui cognitionem vtilitatemque percepit, quam ex alia re vlla, ideoque non dubitabat affirmare, quod propria experientia didiciſſet Deum omnia agere ob bonum noſtrum. Atque hoc pacto Deus eam a ſpiritualibus moleſtijs mirabiliter eripuit, eaſq; vertit in ipſius commodum, ac conſolationem; nec diſſimiliter eum protexit a corporalibus hoſtibus. Cum enim paucis præcipue ante mortem eius annis, Heretici quidam ob odium Religionis ſuæ, illi totique familiæ ſuæ interitum machinarentur, non tamen quod expetebant aſſecuti ſunt.

Deus curat diuturnam eius mœſtitiam.

Dei vindi-cta in hære-ticos, qui Magdale-næ machi-nabantur malum.

ſunt. Præcipuus enim eorum Thomas Mayus cum eſſet eques auratus ac pacis conſeruator, ac dediſſet mandatum comprehendendi famulos Magdalenæ, cito poſt ipſemet in publicis Iudicum conſeſſibus fuit ignominioſe apprehenſus, & in carcerem ob æs alienũ coniectus, vbi diu manſit, ac cum hæc ſcriberem erat a munere pacis conſeruandæ turpiter amotus. Actor vero atque incentor omnium malorum erat Nicolaus Cobbus, cui, paulo poſtquam Magdalenæ interitum moliri cœpit, vxor cultrum in ventrem adegit, ac primum a miniſtris iuſtitiæ apprehenſus, deinde ab ipſis Hæreticis ad ſuppliciũ quæſitus, per litteras tandem a Magdalena veniam petijt, ac quæ adhuc eum pœna expectat nouit Deus. Tertius veternoſus hæreticus nomine N. Benettus, videns nihil eorum quæ ipſe ac ſocij ſui contra piam Dominam excogitaſſent effectum ſortiri, quodam die cum forum venale haberetur Battelli, flexis in terram genibus ante portam ædium Vicecomitiſſæ diram imprecationem euomuit, præcatus Deum vt ipſam ſuamque familiam peſſundaret. At telum quod impius in cælum iaculabatur cito poſt in caput ſuum recidit. Nam tertio poſt die ſummo mane è domo ſua exiens, in puteo quodam, qui eſt in egreſſu oppidi Londinum verſus, ſe ipſum

Nota celerem Dei vindictam,

ſub-

ſubmerſit, Vnde ab hæreticis extractus eorumque iudicio mortis ſuæ reus inuentus, in via publica inſtar canis ſepultus eſt. Alio etiam tempore cum (vt ſupra dictum eſt) in iudicium vocata eſſet ob non adita Hæreticorum templa, adeo nihil damni hoc ei intulit, vt maiorem in poſterum ſecuritatem attulerit. Conſiliarij enim Regis per publicas ſuas litteras datas ad procuratorem regium. 19. Aprilis Anno 1607. ac ſubſcriptas per nouem ex ipſis, mandarunt ne ſententia contra eam proferretur. Quæ literæ, quia teſtantur tum fidem Magdalenæ erga Principem in officijs temporalibus, tum moleſtiam illi illatam eſſe ſolummodo ob Religionem, ipſarum partem ex ipſo autographo, quod penes me eſt, hic ſubiungam. *Quandoquidem* (inquiunt illi) *Domina Montis-acutis vxor Antonij Domini Vicecomitis Montis-acuti defuncti, nuper in quæſtionem vocata eſt ob defectum debitæ conformitatis in Religione ſecundum leges huius Regni, quoniam ipſa illuſtris eſt fœmina, ac grandæua, atque ob fidelitatem ſuam tempore Reginæ Eliſabethæ nunquam in ius vocata fuit, viſum eſt Regiæ Maieſtati, vt in hac vltima ſenectute ſua à moleſtia immunis ſit. Hæc igitur ſint ad te requirendum vti confeſtim efficias, vt accuſatio, quæ contra ipſam in Comitatu Suſſexiæ, aut alibi probata eſt, remittatur per litteras de Certiorari in ſuæ Maieſtatis Curiam de regio Banco, ac proinde poteſtatem habeas detinendi omnes proceſſus contra illius perſonam ex illa*

Magdalena vocata in quæſtionē ob religionem alias fidelis principi.

accuſatione, ſeu quacunque alia, quouſque nos certiores fiamus. Ac in eundem modum cum ſub prætextu inquirendi ſulphurarios proditores, hæretici ſæpius domum eius ſcrutarentur, obtinuit ipſa à Concilio Regio literas datas 5. Aprilis. 1606. ac ſubſcriptas per decem ex Concilio, vt nemo præter quatuor à ſeipſa deſignatos, poſſet eius ædes ſcrutari. Quibus literis id conſecuta eſt, vt ipſa, cuius præ omnibus ædes Catholicis patuerant, quæque admittendis ad ſacra Catholicis ſeipſam periculo maximè omnium expoſuerat, in poſterum omnium tutiſſima à periculo videretur. Dum Londini anno 1606. ageret, forte accidit, vt hæreticus conſpicatus quendam ædes illius ingreſſum, quem ſuſpicabatur (ſed falſo) eſſe vnum ex ijs quos Rex veluti ſulphurariæ proditionis reos proſcripſerat, rem ad Regis Conſiliarios deferret, qui extemplò miſſis ſatellitibus, Magdalenæ ac vicinas ædes arctiſſimè obſederunt à quarta feria duabus horis ante lucem vſque ad meridiem ſequentis Sabbati, eaſque illo tempore, ſed præcipuè vicinas ædes, diligentiſſimè ſcrutati ſunt. Aberat tunc temporis Sacerdos Magdalenæ, qui eam cito ſecuturam, Batellum præceſſerat; ſed audito quod duę ex familia ſua grauiter decumberent, cõſcenſo confeſtim equo Londinum aduolat

Magdalena exponẽs ſe periculo ob religionem fit tutior à periculo.

eo ipſo

eo ipſo die quo inquiſitio cœpit. Veruntamen ita Magdalenam tutatus eſt Deus, vt eo ipſo temporis articulo, quo Sacerdos omnis periculi ignarus, domum eius intrabat, ſatellites ad quartam horæ partem ſecederent. Ac biduo etiam poſt, cum illic diutius hærere periculoſiſſimum videretur, exijt iterum è domo per medios cuſtodes, nemine illorum illum apprehendente, quamuis inter eos tres verſarentur, qui certi eſſent eum eſſe Sacerdotem, & ipſimet cuſtodes tum adinuicem de illo loquerentur, tum digitis eum deſignarent. Nec multis poſt menſibus, cum idem Sacerdos exiens domo Vicecomitiſſæ, à ſcelesto quodam proditus eſſet prædicto Cobbo, etſi Sacerdos vix è conſpectu exierat, ac Cobbus illum comprehendendi deſiderio flagraret, ac vndequaque curſitaret, vt equum conduceret quo eum perſequeretur; veruntamen ita Magdalenam Deus protexit, vt nec permitteret quempiam hæreticorum quantumuis illi inimiciſsimorũ Cobbo equum accommodare, nec ſineret ipſum vel pedibus Sacerdotem perſequi, aut homines clamore ad eum inſequendum (vt in Anglia fit.) excitare. Cum Sacerdos omnis periculi inſcius, ac pedetentim prægreſſus præſtolans vnum, qui eum comitaturus erat, nullo negotio potuiſſet comprehẽdi. Quam

Sacerdos Magdalenæ bis mirabiliter euadit manus hæreticorum.

Iterũ alia vice.

vtramque euaſionem ipſemet Sacerdos Dominæ ſuæ pietati adſcribit, quam Deus protexit, ne capto Sacerdote ſuo, ipſa ob eum hoſpitio receptum, in diſcrimen vitæ vocaretur. Finem huiuſmodi rerum faciam ſi vnam recitauero rem miram, quæ in illius ædibus contigit. Stabat erectum iuxta parietem ingens altare marmoreum, quo Catholici pijs temporibus ad Dei cultum vſi fuerāt, mulier autem quædam ducta curioſitate videndi latus illud quod parieti innitebatur, ita ad ſe lapidem traxit, vt is ſuper eam ceciderit. Ac quanquam lapis tantæ magnitudinis, ac ponderis eſſet, vt octo homines vix poſſent quibuſcunque adminiculis eum de vno loco ad alium deferre, nihilque inter ipſum & mulierem interueniret, quod caſum eius exciperet, ita tamen ſine omni prorſus mulieris læſione ſublatus eſt, ac ſi lectus ex plumis non lapis maximus ſuper illam cecidiſſet. Vnde Magdalenæ iuſſu delatus eſt lapis in ſacellum ſuum, ac iterum diuino miniſterio conſecratus priſtino vſui adhibitus. Sed iam ad eius obitum narrandum licet inuitiſſimi veniamus. *Quis enim* (vt de ſancta Paula ſcribit Hieronymus) *poſſet ſiccis oculis Magdalenam narrare morientem?*

Mirum de altare marmoreo.

De

De fœlici eius ad Deum tranſitu.

CAP. XIIII.

VBI igitur ſanĉte ac fœliciter integros ſeptuaginta annos vixiſſet, ac vidiſſet tertiã progeniẽ ſuã, ac circiter triginta perſonas, quæ ab ipſa deſcenderant, omneſq; per Dei gratiã catholicæ fidei profeſſores, proximo a natali eius die, nimirũ 21. Ianuarij Anni ſuperioris 1608. quo tempore ita per Angliã omnia gelu rigebant, vt congelato Tameſi homines equi ac currus ſuper flumen tranſirent, imò aſſatis ſuper glaciem carnibus non ſecus ac ſuper ſolidam terram homines epularentur, quo (inquam) tempore omnia ita gelu horrebant, incidit Magdalena in paraliſin, qua motus dextri lateris corporis, atque magna ex parte linguæ vſus illi eripiebatur. Sentiebat intra biduum prudentiſſima fœminarum morbum lethalem eſſe, nec tamen aut medicinam popoſcit, aut medicum accerſiri petiit, ſed aduocato Confeſſario ſuo, omnium Chriſti ſacramentorum, quibus in tali caſu opus eſt, participem ſe fieri deſiderauit. Quibus magna cum deuotione ac tranquillitate animi perceptis, & teſtamento ſuo cuidam ex ſuis tradito, ad mortem ſeipſam præparabat, rogans ne deinceps ob negotium vllum

Ingens gelu in Anglia.

Magdalena incidit in paralyſim.

Vt ſe ad mortẽ parabat.

ta de lege adeundarũ eccleſiarũ hæretico-rum.

propterea famulorum ſuorum dimiſit, vt accepto de eo nuncio iucundo vultu dixerit: *Si Rex vult habere duas tertias fundorum meorum, hilariter viuam ex reliqua, ac gratias ago Deo; qui eis me frui hucuſque permiſit, & nunc eas auferri ob fidei ſuæ profeſſionem permittit.* Cum eſſet periculum ne in domum ſuam inquireretur, magis erat de Sacerdotibus ſuis, quàm de ſeipſa ſollicita, ac cum tempore famoſæ ſulphurariæ proditionis, grauiſſimis atque præſentibus periculis terreretur, ne domi ſuæ Sacerdotem retineret, non tamen ceſſit, ſed dimiſſo admonitore, Sacerdoti ſuo virili & fiducia in Deum pleno animo dixit: *Recitemus Litanias, ac totam rem hanc* Deo *committamus.* Tum aliàs ſæpe, tum cum extrema infirmitate decumberet, filijs ſuis ſeuerè præcepit, famulos animauit, omnes grauiſsimè hortata eſt, vt mundi bona negligerent, Catholicam fidẽ conſtanter retinerent, in Deo ſpem reponerent. Quo tempore hanc conſolationem impertitus eſt illi Deus, vt duos ſanguine ſibi coniunctiſsimos, exemplo ac monitis ſuis, ad Eccleſiæ gremium reduceret. Ac ſanè multum illius pietati adſcribẽdum eſt, quod cum ex liberis, nepotibus, ac neptibus ſuis, circiter triginta ſuperſtites reliquerit, omnes etiã reliquit conſtantes Catholicæ fidei cultores. Atque etiamſi liberos ſuos tenerrimè dilige-

Virilis animus in præſenti periculo.

Duos ſibi ſanguine coniunctiſſimos reducit ad Eccleſiam.

Tota eius progenies Catholica.

ret

ret; veruntamen adeo fidem naturæ prætulit, vt ſæpius diceret plurimùm ſe gauiſuram, ſi eorum quiſpiam ob Catholicam fidẽ morte afficeretur. Nec dubito quin ſi Deus experiri voluiſſet, Machabeicæ in ea matris animum vidiſſemus. Optat filios occidi pro fide.

De eius inſigni in Deum pietate. CAP. XII.

NVtrix omnium virtutum pietas eſt, ac deuotio in Deum, quæ in Magdalena valde inſignis erat. Omni enim die matutinis, ac veſpertinis precibus, quæ iugiter in ſuo Sacello à Sacerdotibus ſuis recitabãtur, intererat. Plerumque quolibet die tria Sacra audiebat, ac libentiſſimè plura audijſſet ſi potuiſſet: tantoque erga hoc diuinum ſacrificium amore afficiebatur, vt cum vlla ex cauſa in hyeme ante lucem fieret, ipſa frigido illo ac intempeſto tempore in lecto ſuo contineri non potuerit, ſed exurgens abeſſe a cæleſti illo ſacrificio non ferebat. In priuatis ſuis præcibus diebus ſingulis tria matutinalia officia recitabat, nimirum B. Virginis S. Spiritus, & S. Crucis, quibus addidit tria ad minimum Roſaria, Pſalterium Ieſu, quindecim S. Brigidæ preces, quæ quia ab O incipiunt Deuotio Magdalenæ erga Miſſæ ſacrificiũ. Priuatæ eius preces diurnæ.

cipiunt vulgo dicuntur quindecim illius O, ac communes Litanias, & demum aliquando Defunctorum Officium. Quas preces cum per ſeipſam in infirmitate ſua non potuiſſet offerre, eas ab aliis diſtributa ſua cuique portione, recitandas curauit. Atque vt multa paucis complectar, maximam diei ac bonam noctis partem in oratione conſumpſit. Nam cum mane ſatis diluculo ſurrexiſſet, plerumque toto pene reliquo tempore vſq; ad prãdii horam orationi vacabat, atque e prandio nonnunquam ſola ſacellum & orationem repetebat, itidẽ ante cœnã vnã aut duas plerũque horas in præcibus conſumebat, atque antequam cubitum iret Litanijs ac conſcientiæ examini vacabat. Atque aliquando obſeruaui eam nocte Chriſti natali dicata, ab hora vna ante mediam noctem vſque ad exiguum ante prandium tempus nunquam è ſacello diſceſſiſſe, niſi paululum ad ſeipſam veſtiendam; ſed toto eo tempore peruigilẽ in precibus, ac ſacris actionibus permanſiſſe. Sæpius inuenta eſt in cubiculo ſuo humi in orationibus proſtrata, etſi ſoleret cum eam æſtus deuotionis abriperet, fores claudere. Noctu etiam cum alij ſomnum caperent, audita eſt à famulabus ſuis Roſarium recitare, quod in eum finem ſemper lateri lecti ſui appenſum erat. Ac quod de S. Lea ſcribit Hieronymus:

Quantum tẽporis in oratione cõſumpſit.

mus: *Familiam ſuam plus exemplo docuit, quam verbo*, ſuaque pietate omnes ad deuotionem acuebat. Et licet ob ætatem exempta ipſa eſſet à ieiunio, ſanctè tamen obſeruauit omnia ieiunia Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & alia quæcunque, ſiue ab Eccleſia præſcripta, ſiue pia Patriæ ſuæ conſuetudine introducta, cuiuſmodi ſunt ieiunia omnium ſextarum feriarum, & alia quædam; quibus etiam omnibus ex ſua pietate addidit nonnullas quartas ferias. O verè piam fœminam atque imitatricem ſanctæ illius viduæ, quæ *non diſcedebat è templo, ieiunijs & orationibus ſeruiens Deo die ac nocte*. Tantoque erga orationem ac colloquium diuinum amore ferebatur, vt tæderet eam curæ rei familiaris, quam libenter in alium quempiam reieciſſet, eaque de re mecum aliquoties loquebatur, vt ipſa tota Deo vacaret, niſi obſtitiſſent impedimenta, quæ ipſa amouere non poterat. Sacerdotibus ſuis ob honorem Dei ſummã exhibebat reuerẽtiam, eorumque genibus mane ac veſperi aduoluta, humillimè benedictionem ipſorum expetebat, quod etiam alijs Sacerdotibus faciebat cum ad eam accederent, vel diſcederent. Quem honorem ab initio Anglicanæ Eccleſiæ Sacerdotibus noſtris exhibitum, vt teſtis eſt Beda lib. 3. hiſt. cap. 26. ſed diu intermiſſum, frequentes

Epiſt. 24.

Frequenter ieiunat.

Luc. 1.

Sũma eius reuerentia erga Sacerdotes.

eorum

eorum hoc tempore pro fide mortes reduxerunt, qn̄ intra hos 30. proxime elapſos annos in Anglia ſupra cētum viginti ſæculares Sacerdotes martyrio coronati ſunt. Singulis diebus Dominicis, atque etiā intercurrentibus Feſtis, peccata ſua ſacra Confeſſione expiabat; idque magna adhibita præparatione animi, ac conſcientiæ diſcuſſione.

Frequenter confitetur, & cum magna contritione.

Delicta ſua magna cum ſinceritate aperiebat, tantaque lachrymarum copia ea deflebat, vt qui lachrymas eius vidiſſet, alteram peccatricem putaſſet, Qui vero eius peccata audiſſet, de Ioannis innocentia qui eremum petijt, *ne leui ſaltem macularet famine vitam*, cogitaſſet. Quæ enim fatebatur ita leuia nonnunquam erant, vt opus habuerim eam inducere ad præterita aliqua peccata repetenda, veritus ne aliàs idonea deeſſet abſolutionis materia. Et tamen, vt dixi, ita amarè ea deflebat, vt mihi lachrymas excutere ſoleret, ob quod libenter eius confeſſionem accipiebam priuſquam propria peccata confiterer. In ea enim, vt de S. Paula ſcribit Hieronymus: *Fontes crederes lachrymarum, ita leuia peccata plangebat, vt eam grauiſſimorum criminum crederes ream.* Singulis annis, quibus ego curam illius geſſi, ſemel ad minimum generalem omnium ſuorum peccatorum confeſſionem faciebat, non ob ſcrupulum ali-

In vit. Paulæ.

quem

quem, ſed vt illud obtineret, quod Propheta, iam peccati ſui obtẽta venia petebat, cum diceret: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, atque vt ſe amplius humiliaret, & peccata ſua ſemper ab oculos haberet. Et licet admodum ſollicita eſſet in conſcientia ſua diſcutienda; tamen frequenter rogabat, ſi quid vitij in vita ſua animaduerterem, ne prætermitterem de eo ipſam admonere. Adeoque in ſeipſam ſeuera erat, vt plus ſatisfactionis peteret, quã ei iniungebatur, ac diceret, nunquam ſe confeſſarium inueniſſe, qui ei ſatis pœnitentiæ imponeret. Atque hanc fortaſſe ob cauſam aliquibus ante extremam infirmitatem ſuam menſibus, cœpit mihi dare ſingulis ſeptimanis poſt peractam confeſsionem, decem shilingos, hoc eſt, viginti regales Hiſpanicos, quos in eleemoſynam diſtribuerem, vt ſuppleret id quod ſibi ad ſatisfactionem deeſſe videbatur. Circa quam pecuniam hoc notatu dignum accidit, quod cum ægrotaret nec poſſet mihi pro conſuetudine ſingulis ſeptimanis certam illum ſummã largiri, præcepit vni ex famulis ſuis, vt quam pecuniam is haberet de ſua eam mihi daret, quæ pecunia nec vno teruncio plus minuſue erat quã decem shilingi pro ſingulis ſeptimanis, quibus illa ſuperuixit. Hæc igitur fuit inſignis

Pſal. 50.

Plus pœnitentiæ poſſcit quàm iniungatur.

Mirum de pecunijs datis ob ſatisfactioně.

huius fœminæ pietas in confitendo frequenter, in confitendo cum magno candore, contritione, ac deſiderio ſatisfaciendi Deo pro peccatis, cui reſpondebat eiuſdem pietas erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum. Nam cum hoc modo animam a peccatis purgaſſet, acceſſit cum magna fame ad ſumendum vitæ panem, ac quanta cum externa reuerentia, ac corporis humiliatione, tum acceſſerit ad ſacrum Chriſti altare tum ab eo diſceſſerit, quantis in oculis lachrimis, quantaque in vultu reuerentia ſarum illud epulum ſumpſerit, perſpiciebant illi qui eam intuebantur. Quanta vero cum interna pietate, quamque accenſa in Deum charitate, in cordis hoſpitium Saluatorem ſuum admiſerit, ſolus ille vidit qui cordium ſecreta videt.

Pietas erga Euchariſtię ſacramentum.

De mirabili prouidentia Dei erga Magdalenam. CAP. XIII.

QVemadmodum pia hæc fœmina peculiarem ſollicitudinem habuit ſeruiendi ac placendi Deo, ita ipſe viciſſim particularem curam ac prouidentiam illius geſſiſſe videtur. Cuius pauca exempla apponam.

ponam. Quo tempore nupta erat, incidit in magnam ac diuturnam animi triſtitiam ac mæſtitudinem, ob familiæ ſuę (vt ipſa aliquãdo dicębat) ruinam illatam ab eo in quo ipſa ſubſidij ſpem poſuerat; Quę mœſtitia cum tanta eſſet vt & omnem medicorum artem, & amicorum conſilium vinceret, tandẽ Deus famulæ ſuæ miſertus dignatus eſt eam aliter curare. Nam per ſomnium (quod particulatim ipſa mihi aperuit) clare ac dilucide ei demonſtratum eſt, quid illi agendum eſſet vt ab ea moleſtia expediretur. Quod cum ipſa præſtitiſſet (erat autem opus valde pium) confeſtim curata eſt ab eo animi morbo, quẽ nulla humana ars, medicina, aut conſilium ſanare valuit. Ex hac probatione vt ipſa ſæpe numero fatebatur, maiorem ſui cognitionem vtilitatemque percepit, quam ex alia re vlla, ideoque non dubitabat affirmare, quod propria experientia didiciſſet Deum omnia agere ob bonum noſtrum. Atque hoc pacto Deus eam a ſpiritualibus moleſtijs mirabiliter eripuit, eaſq; vertit in ipſius commodum, ac conſolationem; nec diſſimiliter eum protexit a corporalibus hoſtibus. Cum enim paucis præcipue ante mortem eius annis, Heretici quidam ob odium Religionis ſuæ, illi totique familiæ ſuæ interitum machinarentur, non tamen quod expetebant aſſecuti ſunt.

Deus curat diuturnam eius mœſtitiam.

Dei vindicta in hæreticos, qui Magdalenæ machinabantur malum.

ſunt. Præcipuus enim eorum Thomas Mayus cum eſſet eques auratus ac pacis conſeruator, ac dediſſet mandatum comprehendendi famulos Magdalenæ, cito poſt ipſemet in publicis Iudicum conſeſſibus fuit ignominioſe apprehenſus, & in carcerem ob æs alienũ coniectus, vbi diu manſit, ac cum hæc ſcriberem erat a munere pacis conſeruandæ turpiter amotus. Actor vero atque incentor omnium malorum erat Nicolaus Cobbus, cui, paulo poſtquam Magdalenæ interitum moliri cœpit, vxor cultrum in ventrem adegit, ac primum a miniſtris iuſtitiæ apprehenſus, deinde ab ipſis Hæreticis ad ſuppliciũ quæſitus, per litteras tandem a Magdalena veniam petijt, ac quæ adhuc eum pœna expectat nouit Deus. Tertius veternoſus hæreticus nomine N. Benettus, videns nihil eorum quæ ipſe ac ſocij ſui contra piam Dominam excogitaſſent effectum ſortiri, quodam die cum forum venale haberetur Battelli, flexis in terram genibus ante portam ædium Vicecomitiſſæ diram imprecationem euomuit, præcatus Deum vt ipſam ſuamque familiam peſſundaret. At telum quod impius in cælum iaculabatur cito poſt in caput ſuum recidit. Nam tertio poſt die ſummo mane è domo ſua exiens, in puteo quodam, qui eſt in egreſſu oppidi Londinum verſus, ſe ipſum

Nota celerem Dei vindictam,

ſub-

ſubmerſit, Vnde ab hæreticis extractus eorumque iudicio mortis ſuæ reus inuentus, in via publica inſtar canis ſepultus eſt. Alio etiam tempore cum (vt ſupra dictum eſt) in iudicium vocata eſſet ob non adita Hæreticorum templa, adeo nihil damni hoc ei intulit, vt maiorem in poſterum ſecuritatem attulerit. Conſiliarij enim Regis per publicas ſuas litteras datas ad procuratorem regium. 19. Aprilis Anno 1607. ac ſubſcriptas per nouem ex ipſis, mandarunt ne ſententia contra eam proferretur. Quæ literæ, quia teſtantur tum fidem Magdalenæ erga Principem in officijs temporalibus, tum moleſtiam illi illatam eſſe ſolummodo ob Religionem, ipſarum partem ex ipſo autographo, quod penes me eſt, hic ſubiungam. *Quandoquidem* (inquiunt illi) *Domina Montis-acutis vxor Antonij Domini Vicecomitis Montis-acuti defuncti, nuper in quæſtionem vocata eſt ob defectum debitæ conformitatis in Religione ſecundum leges huius Regni, quoniam ipſa illuſtris eſt fœmina, ac grandæua, atque ob fidelitatem ſuam tempore Reginæ Eliſabethæ nunquam in ius vocata fuit, viſum eſt Regiæ Maieſtati, vt in hac vltima ſenectute ſua à moleſtia immunis ſit. Hæc igitur ſint ad te requirendum vti confeſtim efficias, vt accuſatio, quæ contra ipſam in Comitatu Suſſexiæ, aut alibi probata eſt, remittatur per litteras de Certiorari in ſuæ Maieſtatis Curiam de regio Banco, ac proinde poteſtatem habeas detinendi omnes proceſſus contra illius perſonam ex illa*

Magdalena vocata in quæſtionē ob religionem alias fidelis principi.

accuſatione, ſeu quacunque alia, quouſque nos certiores fiamus. Ac in eundem modum cum ſub prætextu inquirendi ſulphurarios proditores, hæretici ſæpius domum eius ſcrutarentur, obtinuit ipſa à Concilio Regio literas datas 5. Aprilis. 1606. ac ſubſcriptas per decem ex Concilio, vt nemo præter quatuor à ſeipſa deſignatos, poſſet eius ædes ſcrutari. Quibus literis id conſecuta eſt, vt ipſa, cuius præ omnibus ædes Catholicis patuerant, quæque admittendis ad ſacra Catholicis ſeipſam periculo maximè omnium expoſuerat, in poſterum omnium tutiſſima à periculo videretur. Dum Londini anno 1606. ageret, forte accidit, vt hæreticus conſpicatus quendam ædes illius ingreſſum, quem ſuſpicabatur (ſed falſo) eſſe vnum ex ijs quos Rex veluti ſulphurariæ proditionis reos proſcripſerat, rem ad Regis Conſiliarios deferret, qui extemplò miſſis ſatellitibus, Magdalenæ ac vicinas ædes arctiſſimè obſederunt à quarta feria duabus horis ante lucem vſque ad meridiem ſequentis Sabbati, eaſque illo tempore, ſed præcipuè vicinas ædes, diligentiſſimè ſcrutati ſunt. Aberat tunc temporis Sacerdos Magdalenæ, qui eam cito ſecuturam, Batellum præceſſerat; ſed audito quod duę ex familia ſua grauiter decumberent, conſcenſo confeſtim equo Londinum aduolat

Magdalena exponēs ſe periculo ob religionem fit tutior à periculo.

eo ipſo

eo ipſo die quo inquiſitio cœpit. Veruntamen ita Magdalenam tutatus eſt Deus, vt eo ipſo temporis articulo, quo Sacerdos omnis periculi ignarus, domum eius intrabat, ſatellites ad quartam horæ partem ſecederent. Ac biduo etiam poſt, cum illic diutius hærere periculoſiſſimum videretur, exijt iterum è domo per medios cuſtodes, nemine illorum illum apprehendente, quamuis inter eos tres verſarentur, qui certi eſſent eum eſſe Sacerdotem, & ipſimet cuſtodes tum adinuicem de illo loquerentur, tum digitis eum deſignarent. Nec multis poſt menſibus, cum idem Sacerdos exiens domo Vicecomitiſſæ, à ſcelesto quodam proditus eſſet prædicto Cobbo, etſi Sacerdos vix è conſpectu exierat, ac Cobbus illum comprehendendi deſiderio flagraret, ac vndequaque curſitaret, vt equum conduceret quo eum perſequeretur; veruntamen ita Magdalenam Deus protexit, vt nec permitteret quempiam hæreticorum quantumuis illi inimiciſsimorũ Cobbo equum accommodare, nec ſineret ipſum vel pedibus Sacerdotem perſequi, aut homines clamore ad eum inſequendum (vt in Anglia fit.) excitare. Cum Sacerdos omnis periculi inſcius, ac pedetentim prægreſſus præſtolans vnum, qui eum comitaturus erat, nullo negotio potuiſſet comprehẽdi. Quam

Sacerdos Magdalenæ bis mirabiliter euadit manus hæreticorum.

Irerũ alia vice.

vtramque euaſionem ipſemet Sacerdos Dominæ ſuæ pietati adſcribit, quam Deus protexit, ne capto Sacerdote ſuo, ipſa ob eum hoſpitio receptum, in diſcrimen vitæ vocaretur. Finem huiuſmodi rerum faciam ſi vnam recitauero rem miram, quæ in illius ædibus contigit. Stabat erectum iuxta parietem ingens altare marmoreum, quo Catholici pijs temporibus ad Dei cultum vſi fuerãt, mulier autem quædam ducta curioſitate videndi latus illud quod parieti innitebatur, ita ad ſe lapidem traxit, vt is ſuper eam ceciderit. Ac quanquam lapis tantæ magnitudinis, ac ponderis eſſet, vt octo homines vix poſſent quibuſcunque adminiculis eum de vno loco ad alium deferre, nihilque inter ipſum & mulierem interueniret, quod caſum eius exciperet, ita tamen ſine omni prorſus mulieris læſione ſublatus eſt, ac ſi lectus ex plumis non lapis maximus ſuper illam cecidiſſet. Vnde Magdalenæ iuſſu delatus eſt lapis in ſacellum ſuum, ac iterum diuino miniſterio conſecratus priſtino vſui adhibitus. Sed iam ad eius obitum narrandum licet inuitiſſimi veniamus. *Quis enim* (vt de ſancta Paula ſcribit Hieronymus) *poſſet ſiccis oculis Magdalenam narrare morientem?*

Mirum de altare marmoreo.

De

De fœlici eius ad Deum tranſitu.

CAP. XIIII.

VBI igitur ſanƈte ac fœliciter integros ſeptuaginta annos vixiſſet, ac vidiſſet tertiã progeniẽ ſuã, ac circiter triginta perſonas, quæ ab ipſa deſcenderant, omneſq; per Dei gratiã catholicæ fidei profeſſores, proximo a natali eius die, nimirũ 21. Ianuarij Anni ſuperioris 1608. quo tempore ita per Angliã omnia gelu rigebant, vt congelato Tameſi homines equi ac currus ſuper flumen tranſirent, imò aſſatis ſuper glaciem carnibus non ſecus ac ſuper ſolidam terram homines epularentur, quo (inquam) tempore omnia ita gelu horrebant, incidit Magdalena in paraliſin, qua motus dextri lateris corporis, atque magna ex parte linguæ vſus illi eripiebatur. Sentiebat intra biduum prudentiſſima fœminarum morbum lęthalem eſſe, nec tamen aut medicinam popoſcit, aut medicum accerſiri petiit, ſed aduocato Confeſſario ſuo, omnium Chriſti ſacramentorum, quibus in tali caſu opus eſt, participem ſe fieri deſiderauit. Quibus magna cum deuotione ac tranquillitate animi perceptis, & teſtamento ſuo cuidam ex ſuis tradito, ad mortem ſeipſam præparabat, rogans ne deinceps ob negotium vllum

Ingens gelu in Anglia.

Magdalena incidit in paralyſim.

Vt ſe ad mortẽ parabat.

terrenum, moleſtiæ quippiam ei exhiberetur. Cæterùm omnipotens Deus ob maiorem ſui nominis gloriam, atque illius meritum, noſtramque ædificationem, infirmitatem illius integris vndecim ſeptimanis protraxit, nimirum vſque ad diem octauum Aprilis. In quo tempore dici certe non poteſt, quam admirabilem patientiam tum in dictis, tum in factis oſtēderit, nunquam proterua, aut moroſa, ſed gratias perpetuò agens etiam minimis famularū ſuarum cum quicquam pro ipſa feciſſent, ac ſæpiſſimè etiam, in maximis cruciatibus Deum rogans, vt dolorem ſimul & patientiam ſuam augeret. Conſuetas preces ſuas (vt ante dixi) inter familiares ſuas diſtribuit. Miſſam ſingulis diebus audiuit, quo tempore erigi in lecto volebat, quod etiam vltimo vitæ ſuæ die non omittebat. Pendebat ad pedes lecti ſui Chriſti crucifixi ſtatua argentea deaurata, quæ fuerat quondam auiæ ſuæ clariſsimæ, Comitiſſæ Salopienſis; ad hanc frequentiſsimè oculos & nonnunquam etiam manus (prout poterat) nullo edito verbo, ſed cum magnis deuotionis ſignis attollebat: aliquando illas petitiones Dominicas ingeminabat: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem.* Aliàs nobiſcum

Mire manſueta ac patiens.

Deuotio in infirmitate.

biſcum orabat, aut aures præbebat lectioni paſſionis Chriſti, aut pij alicuius libri, ac ſubinde admonebat, vt ei de cœlo ac rebus cœleſtibus in memoriam reduceremus. Aliquando, vt alij ægroti ſe habebant, inquirebat; atque, vt occaſio ſe obtulit, hortabatur Catholicos ad conſtantiam in fide, & nonnunquam etiam hæreticis de fide ſuſcipienda loquebatur. Quanto vero tunc temporis amore Chriſti flagraret, vel ex hoc perſpici poteſt, quod cum ſemel potionē quandam admodum faſtidiret, cum poſt multas importunas preces quidam eam rogaret vt potionem illam ſumeret propter amorem eius, qui fel & acetum pro ipſa biberat, ſubito nullo reſponſo dato, ſed ſumpto poculo illud totum ebibit; adeo confeſtim recordatio paſſionum Chriſti illud dulce ipſi fecerat, quod aliàs maximam nauſeam pepererat. Mortem ita parum expauit, vt ab initio morbi, nobis, qui eius vitam valde cupiebamus, nimis mortem exoptare videretur; ac propterea cum ei proponeremus exempla S. Pauli, Martini, & aliorum, qui ob ſuorum conſolationem contenti erant viuere, illa humiliter dicere ſolebat: *Dei voluntas fiat*. Ac ſemel cum ipſa animi deliquium patiēte famula ſua eiularet, cum primum ad ſe redijt eam obiurgauit, dicens: *Ne plores pro me, ſed* Mortē magis optat quā timet.

plora pro peccatis tuis, ac tibi præcipio nc pro vita mea orés. O rectæ conſcientiæ confidentiam ſingularem. O vitæ huius contemptum, ac futuræ deſiderium. Ad hunc patientem, ac pium modum tranſegit Magdalena longum illud tempus moleſtiſſimæ ſuæ infirmitatis, in quo obſeruata ſunt quædam, quæ forte videri poſſunt præclaræ ſuæ in Deum pietatis, ac diuini erga ipſam fauoris indicia. Etſi enim nihil circa illam eſſet, quod ſuauem aliquem odorem efficeret, imo ſingulis diebus collo eius ac brachio ad paralyſim curandum vnguentum adhiberetur, quod teterrimum putorem exhalabat, quadam tamen die corpus eius ſuauem odorem ſpirare videbatur, quem non ſolum Catholici, ſed etiam hæretici aliquot, qui tunc forte aderant, ſentiebant, ac mirantes, quis ille odor eſſet interrogabant. Alijs alius odor, ſed ſuauiſsimus, ac præter communes odores videbatur, mihi forte ac ſuaue balſamum redolebat, vt recordatus odorem virtutis quē tum Catholicis, tum etiam hæreticis poſt ſe reliquit, impletum in ea putarim illud Eccleſiaſtici: *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi*. Alio etiam tempore morbi ſui, cum vir quidam grauiſſimus & pius genu flecteret in oratione extra Sacellum, ſed pone illum locū in quo ipſa precari ſolebat, ſenſit quin-

Corpus Magdalenæ ſuauē odorem ſpirabat.

Cap. 24.

quies

quies aut ſexies flatum quendam gratiſſimi odoris, quem vnquam in vitâ ſua ſenſerat ex ſacello prodire; quem odorem opobalſamo ſimilem ille dicebat, ſed qui omnem terreſtrem odorem longiſsimè ſuperaret, magnaque eum admiratione ac voluptate afficeret. Sed quid miramur tam ſuauem odorem è loco vbi Magdalena orare conſueuerat prodijſſe, cum ipſa (vt loquitur Apoſtolus) *fuerit bonus odor Chriſti in omni loco.* Alterum quod conſideratione dignum mihi viſum eſt, fuit, quod cum medicus tribus aut quatuor ante obitum eius diebus, ſpem nobis feciſſet, vel ſalutis recuperandæ, vel ſaltem mortis differendæ, neque ſanè appareret nobis ſignum aliquod imminentis mortis, nihilominus ſeptimo die Aprilis, qui fvit pridie mortis, rogauit me vt peterem à reliquis Sacerdotibus fratribus meis, (nam tunc ſimul quinque aderamus) vt illo die omnes ſacrum faceremus pro ipſa in honorem B. Virginis: cumque ego eam interrogarem quem ob finem ſacra illa celebrari vellet: *Vt nullam* (inquit ipſa) *habeam voluntatem, niſi Dei voluntatem, atque vt eius ſacratiſſima voluntas in me adimpleatur, ſiue in vitam, ſiue in mortem.* O miram perfectionem huius fœminæ paratæ ſiue viuere, ſiue mori, prout Deo videretur, & neutrius ex ſeipſa, ſed tantummodo diuini beneplaciti

Suauiſsimus odor prodit è loco vbi ſolebat orare.

Mira perfectio Magdalenæ.

Mors adeſt cito poſtquam ipſa ſe paratam dixit ſiue ad vitam, ſiue ad mortem.

exequendi cupidæ. Atque ecce, cum (vt prædictum eſt) ante hoc imminentis mortis ſigna non videremus, non multò poſt Miſſarum celebrationem tempore, ipſi mortis dolores eam adorti ſunt, neque illam vnquã reliquerunt, quouſque mortali hac vita eam ſpoliaſſent. Ac quanquam eſſent acerrimi ac continui ab hora poſt meridiem tertia feriæ quintæ, vſque ad mediam fere noctem ſequentis feriæ, quæ erat octaua Aprilis, quãdo expirauit, permanſit tamen ipſa eadem cum admirabili patientia, ac animi tranquillitate. Adeò vt interrogata feria ſexta mane quomodo præcedentem noctem duxiſſet, reſpondit: *Optimè omnium quas vnquã duxi.* Sentiebat enim prudentiſsima fœmina adeſſe mortem, ac noctem illam aperturam ſibi diem qui nunquam finem eſſet habiturus. Dum ſenſus vigebat orabat nobiſcum, ac in vna manu crucem tenuit quouſque vires deficerent; in altera cereum benedictum, quē ita fortiter etiã poſt mortem tenuit, vt opus fuerit vim adhibere ad eum extorquendum. Vltima illius verba, quæ intelligere poteramus, erant illa Saluatoris noſtri: *In manus tuas* (Domine) *commendo ſpiritum meum*; quem ſine omni renitentia, aut luctatione placidiſſimè emiſit paululum ante noctis medium, quo tempore, vt Scriptura loquitur: *Clamor*

Placidiſſimè moritur.

Matth. 25.

factus

factus eſt, ecce ſponſus venit exite obuiam ei, Ipſa cum ſanctis mulieribus ex hac valle miſeriarum intra octauas Reſurrectionis Dominicæ ſurrexit; ac ornata lampade ſua introiuit, vti ſperamus, cum ſponſo ad nuptias. Viſcera eius condita fuerunt Batelli vbi mortua eſt, in ſepulchro viri patris ſui, corpus vero honorificè Midhurſtam delatum, ibiq. in monumentum viri ſui illatum fuit.

De habitu corporis eius.
CAP. XV.

STatura fuit valde alta, ita vt ſicut Saul inter viros, ſic illa inter mulieres mediocris ſtaturæ ab humeris ſurſum emineret, & nihilominus rectiſsima, nec vel tantillum vſque ad mortem incurua; erecto illius animo etiam corpus eius erigente. Corpore fuit obæſo & pingui. Caput eius erat rotundum, ſed quod præ corporis magnitudine exiguũ videbatur, capilli in iuuentute pulchri & flaueſcẽtes, facies candida & ſublonga, frons plana, oculi colore caprino & acres; durauitque cum ipſa viſus, ita vt in vltima ſenectute turrim à quindecim miliaribus poſſet cernere, ac cum perſpicillijs etiam tenuiſſimum linum ad filum diuidere: atque ad eundem

dem modum reliquis omnibus ſenſibus perfectè fruebatur. Naſus illius rectus erat & acutus, & aliquantulum breuis, ac mentum magnum; vultus illius erat grauis admodum ac venerabilis, atque inceſſus erectus, ſedatus, ac maieſtate plenus. Atque hic externus corporis ſui habitus. Quod vero ad animum eius ſpectat, ingenio fuit acutiſſimo, ac memoria fœlicişsima, quam tamen ipſa aiebat ex prædicta diuturna ſua triſtitia fuiſſe imminutam. Iudicio etiam fuit profundo, & animo magno ac erecto, adeoque quod de S. Thoma Cantuarienſi ſcriptum eſt de illa recte vſurpare poſſumus; nimirũ, quod *humilis fuit, ſed inter humiles, nam inter potentes & ſuperbos excelſior ipſa, potentiorque videbatur.* Atque hactenus, prout potui, vitam huius piæ fœminæ deſcripſi, nunc aliorum de ipſa iuditia audiamus.

Apud Surium to. 6.

Aliorum de ipſa iudicia.
CAP. XVI.

Iudicium Archipresbyteri, & Sacerdotũ Angliæ.

IN primis Reuerendiſſimus Angliæ Archipresbyter D. Georgius Birchedus literis ad me datis deflebat mortem illius tanquam *magnæ* (vt aiebat ille) *matris in Iſrael*, ac

paſſim

paſſim Sacerdotes in Anglia deprædicabant eam, vt magnam ſanctæ fidei patronam, & ſingulare Catholicæ religionis in Anglia ornamentum. Nobilis quidam Catholicus magnæ pietatis, & iudicij vir, quamuis eam prius optime noſſet, cum tamen illam in infirmitate eius inuiſiſſit, viſa illius inſigni patientia ac pietate, dixit noluiſſe ſe ob quantaſcumque pecunias tantæ virtutis aſpectu caruiſſe. Sed omnium luculentiſſimum virtutum Magdalenæ teſtimonium deſumi poteſt ex litteris præſentis Illuſtriſſimi Vicecomitis Montis-acuti, cuius teſtimonium eo pluris faciendum eſt, quod illa Nouerca Patris ſui fuerit, & ille (vt omnes, qui eum norunt teſtantur) ſit ab omni aſſentatione alieniſſimus, ac conſtantiſſimus fidei catholicæ cultor, pro qua ſæpe vincula perpeſſus, nunc ędes proprias pro carcere incolit. Hic igitur tantus vir, anno ante obitum Magdalenæ, mittens filias ſuas ad illam inuiſendam, ita ad eam ſcribit. *Amantiſſima Domina mea Auia, prout ſuperioribus meis litteris indicaui, ita nunc humillimo ac officioſiſſimo modo hæc mea pignora ad Illuſtriſſimam dominationem veſtrã mitto. Summopere deſiderans, vt vnumquodque eorum in ſuo gradu ita ſe gerat erga D.V. vt aliquatenus exprimant curam illam, quam ego ſemper habui inſerendi illis tantum amorem tamque inſigne obſequium erga veſtram illuſtriſſimam ac digniſſimam perſo-*

Item nobilis Catholici.

Illuſtriſſimi Vicecom. Montis-acuti.

perſonam, quantum tum ab illis tum a meipſo iure debetur illi per cuius ſingularem curam ac tenerꝗam affectionem non tantum credo (prout partim audiui partim experientia didici) vitam optimi patris mei ac meam, velut per præcipuum inſtrumentum terrenum fuiſſe ſeruatam; verum etiam agnoſco tot præclara officia tum in rebus ſtatus temporalis, tum in alijs maioris momenti, in conciliando ac conſeruando (quandotunque ſe occaſio obtulit) exoptatiſſimo nobiliſſimi Aui mei erga me fauore, vt vix vlla Domina tot liberorum mater, nec vlla minorum virtutum, vnquam feciſſet. Quod certe, me & ſumme honorare, & admirari perſonam veſtram cogit. In alijs etiam literis miſſis Anno 1606. cum a Magdalena rogatus eſſet, vt dignaretur eſſe teſtamenti ſui curator, reſpondit, quod etſi lugubrem mortis Dominæ vicecomitiſſæ diem nec expetat, nec libenter videre vellet; ſi tamen ita Deus diſpoſuerit *quam* (inquit) *Fidelitatem cordi proprio ſeruo, eandem veſtræ illuſtriſſimæ dominationi præſtiturum me promitto.* Quod factis poſtea cumulatiſſime præſtitit. Nam non tantum teſtamentum illius exactiſſime curauit, ſed etiam pullas veſtes vniuerſæ familiæ ſuæ, quę numeroſiſſima eſt, ob illius luctum diſtribuit bonam pecuniæ ſummā pro illius anima largitus eſt, totam Magdalenę familiam per tres menſes poſt illius obitum aluit, ac præcipuos quoſque ex illius famulis in ſuam familiam aſciuit, eorumque aliquos ob ſeruitiū illi præ-

Magdalena ſeruauit vitā Vicecomitis, & patris ipſius.

Cōciliat & conſeruat fauorē Aui ſui erga ipſum.

Dixit Vicecomes & fecit.

li præſtitum ſtipendijs auxit, tantuſque erat inter ipſum ac Vicecomitiſſam amor, vt Nouercis ac Priuignis omnibus exemplo eſſe poſſent. Atque hoc fuit præclarum huius Vicecomitis de Magdalenæ virtutibus, tum dictis tum factis teſtimonium. Qualem de illa inclitæ memoriȩ Regina Maria exiſtimationem habuerit, ſupra dictum eſt. A cuius in hac re iudicio (licet in alijs bonis pœne omnibus diſentiret) non diſcedebat ſoror ipſius Regina Elizabetha. Nam ſic illius nomine ad Magdalenã ſcripſit Dña Scudamora Reginæ contubernalis: *Regina mihi præcepit vt Illuſtriſſimæ D. V. ſignificarem perſuaſum ſibi eſſe quod ſecum melius ob veſtras preces agatur, idcircò rogat, vt ſemper in poſterum ſui in precibus veſtris meminiſſe.* Quanti eam Regis concilium fecerit ex litteris ſupracitatis conſtat. Ac peſſimum, quod iudicio ſuo hæretici quamuis inimiciſſimi de ea poſt mortem eius dicebãt, erat illud, quod reuera illi fuit honorificentiſſimũ, nimirũ, quod vehemens Papiſta fuiſſet. Concludam hæc teſtimonia iudicio Illuſtris cuiuſdam Catholici, qui quamuis in vita Magdalenæ minus ei fauiſſe viſus ſit, tamen illa mortua non dubitauit dicere *eam parem ſibi in tota Anglia non reliquiſſe.* Ac ſane de de illa vſurpare poſſumus verba illa Auguſtini de matre ſua S. Monica. *Quiſquis ſeruorum*

Iudicium Reginæ Mariæ.

Item Eliſabethæ.

Iudicium illuſtris Catholici.

Confeſſ. l. 9. c. 9.

uorum tuorum (Deus) *nouerat eam, multum in ea laudabat, honorabat, & diligebat te, quia ſentiebat præſentiam tuam in corde eius, ſanctæ conuerſationis fructibus teſtibus. Fuerat vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam pie tractauerat, in operibus bonis teſtimonium habebat, nutrierat filios toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat*. Quæ omnia in hac pia fœmina veriſsima eſſe, omnes qui eam nouerunt, mecum teſtabūntur.

EPILOGVS.

SEd iam Magdalenæ pixis diſrupta eſt, & domus repleta eſt odore vnguenti, iam Gedeonis laterna fracta eſt, & lumen apparet, quod Madianitarum oculos perſtringit, iam Magdalenæ noſtræ corpus diſſolutum eſt, & lucidiſſima ac fragrantiſsima eius virtus, clarius, latiuſque ſe diffundit. Angliæ dolendum eſt, quod tantam fidei columnã, tam præclarum Religionis ornamẽtum, tam eximium virtutum exemplum amiſerit, imo potiùs gaudendum, quod tale aliquando habuerit, vel potius habeat. Magdalenæ certè gratulandum, quod illud inuenerit, quod diù multumque optabat, vt relicto

mun-

mundo, Deo plenius iungeretur. Fœlix profectò fœmina, quòd mundum; quòd nobiliſſimis orta natalibus, clariſsimo iuncta viro, longo tempore opibus, honore, proſpera valetudine ac fortuna, longæua vita, ac præclara ſobole fruita fuerit. Fœlix quoad corpus; cui Deus integrum, decorum, ac ſanum corpus dederit. Fœlix quoad animam; quæ acutiſsimo ingenio, tenaciſſima memoria, profundo iudicio, virili atque excelſo animo prædita fuerit. Sed fœliciſſima quoad Deum; qui tantam ei gratiam infudit, vt natalibus, honore, nuptijs, opibus, valetudine, forma, ſobole, omnibus denique naturę ſeu fortunæ bonis, omnibus corporis animæque dotibus, ad ſempiternam ſuam fælicitatem Deique gloriam vſa fuerit. Si igitur (quod teſtatur ſcriptura) beati illi ſunt qui in Domino moriuntur, quam beatam hanc fœminam cenſebimus, quæ non mortua modo eſt, ſed vixit etiā in Domino, nec paruo tempore, ſed tota vita; nec qualitercunque, ſed ſanctiſſime ac religioſiſſime; idque in terra Hus vbi hora eſt & poteſtas tenebrarum, vbi pietas accerrime impugnatur, ac vitijs omnibus fræna laxantur. Nunc igitur requieſces o Magdalena a laboribus tuis, a frequentibus ieiunijs, ac aſſiduis orationibus,

Magdalen felix quoad mundum.

Quoad corpus.

Quoad animam.

Fœliciſſima quoad Deū

bus, ac reliquis pietatis exercitijs tuis, requieſces ab implacabil hæreticorum odio, imprecationibus, accuſationib⁹, ac inquiſitionibus. Opera enim miſericordiæ, pietatis, caſtitatis, humilitatis, fidei, ſpei, & charitatis tuę ſequũtur te. Sed quia pia hæc vidua pridie tranſlationis S. Monicæ ſãctiſsimæ viduæ cui ſimillima erat, ad meliorẽ vti ſpero vitã tranſlata eſt, ſcriptionẽ meã de illa, concludam eiſdẽ verbis quibus ſuam de ſancta Monica matre ſua cõcludit Auguſtinus. Sic igitur ille. *Quanquam illa in Chriſto viuificata, etiam non dum carne reſoluta ſic vixerit vt laudetur nomen tuum* (Deus) *in fide moribuſque eius, non tamen audeo dicere ex quo eam per baptiſmum regeneraſti, nullum verbum exiſſe ex ore eius contra præceptum tuum, & vę laudabili vitæ hominum ſi remota miſericordia diſcutias eam. Ego itaque Deus cordis mei ſemotis pauliſper bonis eius actibus pro quibus tibi gaudẽs gratias ago, nunc pro peccatis* (Dominæ) *meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam qua deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis; ad cuius pretij noſtri ſacramentum ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei. Et inſpira Domine Deus meus inſpira ſeruis tuis fratribus meis, filijs tuis Dominis meis, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad*

Magd. moritur pridie tranſlationis S. Monicæ.

L. 9. Conf. c. 13.

altare tuum (Magdalenæ) *famulæ tua cum* (Antonio) *quondam eius coniuge.*

FINIS.

Gloria, & honor omni operanti bonum.
Rom. 2.

ERRATA.

Pag. 45. lin. 22. pro compellebat leg. compellabat P. 61. lin. 24. pro illum leg. illam P. 75. lin. 7. pro viris Patris leg. Patris viri, vel Soceri P. 81. lin. 2. pro quod leg. quoad Et lin. 7. pro an ac

De Anno, Die, ac Loco, Ortus, Obitus, & Sepulturæ D. Magdalenæ.

CARMEN.

Mille & quingenti triginta atque octo fuerunt
Anni, cum hac cœpit Magdala luce frui
Mille & ſexcenti octo anni, cum luce potiri
Incœpit, requie perpetuaque, Poli.
Mundo, ortum tribuit Iani vigeſima; Cælo,
Octaua Aprilis lux, ſine fine dedit.
Nauardum vitam, mortem Battella, ſepulchrum
Largita eſt Dominæ chara Midurſta mea.

A01 1671370

BIB